QUAESTIONES ASCLEPIADEAE

DE

VINORUM DIVERSIS GENERIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

ROSTOCHIENSI

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HEINRICUS BRUNS

PARCHIMENSIS.

PARCHIMII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA GERLACHIANA

MDCCCLXXXIV.

Ref. Prof. Dr. Fr. Leo.

GEORGIO KAIBEL
FRIDERICO LEO

SACRUM.

ingentem copiam vinorum illustrium spectamus (cf. Plin. XIV, 20, 87), satis magnus esse videtur. Necessitudini autem inter Pollucem et Clementem agnoscendae obstare videtur, quod alter dicit: οὔπω γὰρ οἱ παλαιοὶ τὸν Ἰταλιώτην ἀκριβῶς ᾔδεσαν, alter: καὶ ἀνθοσμίας τις ἄλλος τῆς Ἰταλῶν γῆς. Sed non obstat; Pollux nugas facit; quamquam de hac re loco aptiore dicemus.

Priusquam autem ad Athenaeum accedamus, quos auctores Plinius secutus sit enucleemus oportet. Ac primum quidem nobis inquirendum est in Plin. libr. XIV paragr. 21—52. Quas unde hauserit ex Columellae de re rustica libris cognoscitur. Praebent enim.

Plin. XIV, 21.	Col. III, 2. 7. ed. Gesn.
Principatus datur Amineis ...	Solae traduntur Amineae ... ceteras omnes sapore praecedere.
quinque earum genera.	Eae cum sint unius nominis non unam speciem gerunt.
ex his germana minor acino [1]) melius deflorescit.	Duas germanas cognovimus, quarum una ocius et melius deflorescit,
2. sed in arbore quam in iugo minus obnoxia.	habilis arbori sed non iugo.
	longe praecedit maiorem,
imbres, tempestates tolerat, non item maior.	quia et imbres et ventos fortius patitur.
gemellarum, quibus hoc nomen uvae semper geminae dedere	verum et aliae duae germanae, quae ab eo, quod duplices uvas exigunt, gemellae vocantur —
asperrimus sapor.	austerioris vini.
Ex iis minor austro laeditur, ceteris ventis alitur ut in Vesuvio monte Surrentinisque collibus.	Earum minor vulgo notissima — quippe Campaniae celeberrimos Vesuvii colles Surrentinosque vestit cf. seq. § 10.

[1]) scribas ‚ocius et melius'.

Quintum genus lanatae, adeo lanugo eam vestit.	Lanatam quoque Amineam — praecipue canescet lanugine.
§ 23. Proxima dignitas Nomentanis rubente materia. quapropter quidam rubellas appellavere vineas et seq.	§ 14. Nomentanae vini nobilitate subsecuntur Amineas... a quo calore rubellianae nuncupantur et seq.

cf. deinde Plin. XIV, 24 cum Col. III, 2. 17, ubi Plinium duo genera illa lanata in unum contraxisse apparet; Plin. XIV, 25 cum Col. III, 2. 16. Plin. XIV, 26 cum Col. III, 2. 16. Plin. XIV, 27 cum Col. III, 2. 19.

Atque vitium ab utroque allatarum quae secuntur ordo quamquam non semper idem est, tamen ex permultis vocibus utrique communibus, deinde etiam ex ratione proposita, qua dividunt omnes species in singulas partes (Plin. § 27. ‚Reliquae ignobiles'. Col. III, 2. 19 ‚Possunt etiam secundae notae vini proventu et ubertate commendari'), sequitur ut iterum uterque eundem auctorem exscripserit. Nolo ne longior sit expositio omnia genera enumerare, pauca promam:

Plin. XIV, 29.	Col. III, 2, 23.
Insignes iam colore inter purpureas nigrasque medio helvolae, saepius varianti et ob id varianae a quibusdam appellatae.	sunt et helvolae, 2. neque purpureae neque nigrae 1. quas nonnulli varias appellant.

Plin. XIV, 31.	Col. III, 2. 24.
Albuelis summis arboribus fertilior est, visula imis ... Inerticulam e nigris appellavere, iustius sobriam dicturi et cet.	Albuelis — in summa arbore (2) utilior (1) quam in ima ... Inerticula tamen nigra quam quidam graeci amethyston appellant et cet.

Plin. XIV, 32.	Col. III, 2. 25.
Fertilitas commendat ceteras	Tertium gradum facit earum Celsus, quae fecunditate sola

principipemque helvennacam. Duo eius genera.[1])	commendantur, ut tres helvolae.

Quae si diligenter perlegeris, cum verba fere eadem sint, utrumque scriptorem eodem auctore usum esse facile concedes. Huc accedit, quod etiam in partitionibus, quas faciunt, accurate inter se congruunt. Etenim Plinii commentarius, qui usque ad § 36 primo quidem obtutu bipertitus videtur esse, cum Columellae sit tripertitus, re vera et ipse tres partes habet; nam Plinii verba (§ 32) „fertilitas commendat ceteras“ et Columellae „tertium gradum facit earum Celsus, quae fecunditate sola commendantur“, idem sibi velle, nemo erit, qui negare possit.

Restat ut quis fuerit auctor utrique communis cognoscamus. Atque dicit Plinius § 33: ‚Graecinus, qui et alioquin Cornelium Celsum transscripsit‘. Qua ex re sine dubio conicere quidem possumus, Celsum esse eum auctorem quem secuntur. Quod quam verum sit ex Columellae libro discis. Qui duobus locis Celsum aperte et dilucide affert auctorem atque, quod plurimum valet ad hanc quaestionem dirimendam, in ipsis quas fecit partitionibus. Sed cum exeunte hoc secundo capite (§ 31) et ipse Graecini mentionem faciat „inquit Iulius Graecinus: ubi nihil erit, aut non multum“ seq. haud scio, an non tam ipsum Celsum quam Iulium Graecinum, Celsi discipulum et diligentem compilatorem (cf. Col. I, 13), ab utroque exscriptum esse nostro iure statuere possimus. Quam sententiam etiam corroboratam esse videbis, si Columellae sequentia capita perlegeris.

Pergit autem Plinius § 36. ‚Et hactenus publica sunt genera, cetera regionum locorumque aut ex his inter se insitu mixta‘. Iam vero generum vini quae secuntur Columella nullum praebet nisi Irtiolam, quam nondum satis cognitam sese habere profitetur. Ante oculos autem habuit et ipse eundem auctorem quem Plinius, sed cum satis sibi desudasse videretur in vinorum generibus enumerandis

[1]) de numero generum cf. quae supra p. 3 dixi.

„multa“, prodit „praeterea sunt genera vitium, quarum nec numerum nec appellationes cum certa fide referre possumus. Neque enim, ut ait poeta, numero comprendere refert . . . Quippe universae regiones regionumque paene singulae partes (cf. Plinii „regiones et loci“) habent propria vitium genera etc. Quare prudentis magistri est eiusmodi nomenclationis aucupio quo potiri nequeant studiosos non demorari.“

Plinii igitur prima de vino capita (§ 20—43) ex Graecino (vel Celso) hausta sunt, neque vero ex alio fluxerunt quae secuntur capita 44—53; quod et ipsum ex Col. libr. III cap. 3 cognoscitur. Qui hoc capite de utilitate vitis colendae verba facit; idem vides factum esse a Plinio. Sed cum Columella hanc rem non tanta tamque accurata diligentia tractet, non est mirum, quod Plinius multa praebet quae ille omittit. Eo autem accurate inter se consentiunt, quod testes afferunt Varronem et Catonem, quod de fertilitate agri Nomentani locuntur et cum Seneca eum possideret (Plin.: ‚Seneca principe tum eruditionis et potentiae‘. Col.: ‚vir excellentis ingenii et doctrinae‘) plurimos ex eo captos esse fructus tradunt. Atque auctorem Columella saepenumero affert Graecinum.

De sequentibus paragraphis 59—72, quae cum nullo alio commentario accurate comparari possunt, nunc non agam; postea videbimus, ad quem recedant. Transeo ad paragr. 73 seq. Quas si comparamus cum Dioscoridis libri V capitis 10 altera parte, statim si ad sola nomina spectamus, hos scriptores intima cognatione contineri cognoscimus. Plinius enim praebet: Thasium, Chium (Ariusium), Lesbium, Ephesium, Tmoliten, Clazomenium; Dioscorides: Chium, Lesbium, Ephesium, Tmoliten, Coum, Clazomenium. Enumerat autem Plinius praeter haec genera etiam alia, quae apud Dioscoridem non leguntur; ex ea ratione autem, qua Plinius haec enumerat, concludi potest — quod quidem per se verisimile est — communem auctorem haec quoque exhibuisse. Huc accedit quod in singulis describendis accurate inter se consentiunt, sicut:

Plin. XIV, 75.	Diosc. V, 10.
Nam Mesogiten capitis dolores facere compertum est.	ὁ ἐκ τῆς Ἀσίας μεσωγίτης, ἐκ τοῦ Τμώλου, κεφαλαλγής· καὶ νεύρων βλαπτικός.

Auctorem autem affert Plinius § 76. „Exolevit et protagion quod Italicis proxumum fecerant Asclepiadis scholae“. Verisimile igitur fit, quae de vinis Graecis sunt narrata ex Asclepiadis libris esse hausta. Quod quam verum sit alio loco Pliniano plane et dilucide ostenditur. Agit Plinius XXIII, 31 de ‚proprietatibus et differentiis‘ singulorum vini generum; pergit § 32 ‚unum de dando eo volumen Asclepiades condidit‘ et cet. Secuntur § 33 singula genera, quae facile quis credere potest ad eundem redire auctorem, ex quo id quod dixit, cum de iisdem vinis in libro XIV ageret hausit; res autem ita non se habet. Sed conferamus Plinium cum Dioscoride, quocum mira quadam necessitudine continetur. Enumerant enim primo loco haec genera communia: Diosc. V, 10. Φάλερνος, Ἀλβανὸς, Καίκουβος, Συρρεντῖνος. Plin. XXIII, 34—35. Falernum, Albanum, Surrentinum, Caecubum.

Atque Caecuba, dicit Plinius, non iam gignuntur. Quibus ex verbis (etiamsi nulla alia vestigia haberemus) sequitur, ut alium auctorem aute oculos habuerit. Nam quid sibi volunt haec verba? Satis supervacaneum est in medicina adhibenda ea narrare, quae non iam ad sanandos morbos adhiberi possint neque quisquam qui librum de suo componit, hoc scribet aut si faciet, alio utetur modo. Ergo Plinii auctor egit de Caecubo, Plinius autem, non nescius Caecubum non iam coli pro illius de hoc vini commentario sua ipsius verba inseruit. Iam vero ad singula animum advertamus; exhibent autem:

Diosc. V, 10.	Plin. XXIII, 35.
ὁ μὲν οὖν δοκῶν πρωτεύειν ἐν Ἰταλίᾳ, φάλερνος δὲ καλούμενος, παλαιωθεὶς ἄγαν εὔπεπτος (?) σφυγμῶν ἀνακλητικὸς, κοιλίας στεγνωτικὸς καὶ εὐστόμαχος. κύστει ἄθετος καὶ	Falernum nec in novitate nec in nimia vetustate corpori salubre est. 2) nullo aeque venae excitantur. 1) alvum sistit. corpus alit. 2) (nec prodesse) — vesicae creditum

ἀμβλυωποῦσι καὶ πρὸς πολυποσίαν ἀνάρμοστος.	est. 1) obscuritatem visus facere, nec prodesse nervis.
ὁ δὲ ἀλβανὸς ἁδρομερέστερος τοῦ φαλέρνου, ἔγγλυκος,	Albana
ἐμπνευματῶν στόμαχον, κοιλίαν τε μαλάττων,	stomachum modice impletat
πέψει δὲ οὐχ ὁμοίως συνεργῶν,	2. concoctionem minus adiuvant.
τοῦ δὲ νευρώδους ἧττον κακωτικός [1]).	1. nervis utiliora.
ὁ δὲ συρρεντῖνος αὐστηρὸς ἱκανῶς ἐστιν, ὅθεν ἐντέρων καὶ στομάχου ῥεῦμα ἵστησι,	at Surrentina 2. stomachi et intestinorum rheumatismos cohibent
κεφαλῆς δὲ ἧττον ἅπτεται, λεπτομερὴς ὤν.	1. nullo modo nec caput temptant.

Intima igitur cognatione Plinius et Dioscorides inter se cohaerent. Ut autem hunc commentarium nomen auctoris Asclepiadis antecedit, ita eum subsequitur in paragrapho 38 Quare, cum alter ex altero certe non hauserit, ad quem haec capita recedant dubitari non potest. Iam vero Dioscorides V, 10 uno tenore de vinorum italicorum et graecorum natura agit atque ita agit, ut quod iam ostendimus singulae res cum singulis rebus a Plinio et XIV, 73 seq. et XXIII, 33 seq. allatis accurate consentiant. Ergo, quae Plinius in duobus hisce libris de vino graeco dicit, ex eodem auctore (Asclepiade) sunt ducta. De paragraphis 77—79 infra loquar. paragr. 80—86 et cum Dioscoride et cum Polluce conferendae sunt.

Dios. V, 9.

ὁ δὲ ἐκ τῆς θειλοπεδευθείσης σταφυλῆς ἢ ἐπὶ τῶν κλημάδων ὀπτηθείσης καὶ τριβομένης γενόμενος γλυκὺς καλούμενος,

[1]) vides igitur quod Plinius praebet: Falernum non prodesse nervis, etiam Dioscoridis auctorem docuisse.

Diosc. V, 9.	Plin. XIV, 80.	Poll. VI, 16.
κρητικὸς ἢ πρότροπος ἢ πράμνιος	2) Passum a Cretico Cilicium probatur et	2) καὶ Θήραιον τὸν ἐκ Κρήτης
καὶ ὁ καθεψημένου τοῦ γλεύκους σίραιος[1]) ἢ ἕψημα καλούμενος· ὁ μὲν μέλας καλούμενος δὲ μελαμψίθιος παχύς ἐστι καὶ πολύτροφος.	1) nam siraeum ... non naturae opus est musto usque ad tertiam partem mensurae decocto. Psythium et melampsythium passi genera sunt	1) καὶ σίραιον δὲ ἐκάλουν τὸν ἐκ γλεύκους ἡψημένον γλυκὺν

conferas deinde et Diosc. V, 15 cum Plin. XIV, 85 etc.

cf. supra.	Sed inter haec genera potuum ponere debeo et protropum, ita appellatur a quibusdam mustum sponte defluens antequam calcentur uvae.	17) καὶ πρότροπος δ᾽ ἦν τις οἶνος ὁ πρὶν ἀποθλίβεσθαι ἐκρυείς.

Sed non solum verba ipsa inter se similia sunt, accedit, quod Plinius et Pollux in vinis communibus enumerandis ordinem servant eundem.

Pergit deinde Plinius § 86. Non possunt iure dici vina quae graeci deuteria appellant, cum Pollux praebeat: ὁ δὲ φαῦλος οἶνος δευτερίας, ἐξεστηκὼς et seq. Catonis autem sententia de deuteriis parandis prolata Plinius narrans ‚quomodo Graeci ea factitaverint' idem profert quod Dioscorides, nam conferas:

Diosc. V, 13.	Plin. XIV, 86.
δευτερίας σκευάζεται τοῦτον τὸν τρόπον. εἰς τὰ στέμφυλα ὧν ἐκθλίψεις οἴνου μετρητὰς λ᾽ βάλε ὕδατος μετρητὰς γ᾽ καὶ μίξας καὶ πατήσας ἔκθλιψον καὶ ἀφέψησον εἰς τὸ τρίτον.	alterum, quomodo graeci factitavere: tertia parte eius quod expressum sit addita aquae expressoque decocto ad tertias partes.

[1]) σίραιος scripsi pro σείριος.

Quae secuntur paragraphi apud Dioscoridem nihil habent cui respondeant, neque credo, quamquam Athenaeus X, 440 idem narrat quod apud Plinium § 89 legimus, ex graeco auctore hoc fluxisse. Immo auctor primarius fuit romanus ille, quem Plinius affert: Fabius Pictor. Ex quo hanc narratiunculam Polybius hausit, quem Athenaeus auctorem affert. In paragrapho autem antecedenti Plinius Varronem laudat: „Marcus Varro auctor est" etc. Ergo veri non dissimile est, eum etiam ea quae secuntur (§ 89—91) ex Varrone hausisse. Confirmatur autem haec sententia comparato Plutarcho. Qui in quaestionibus Romanis eandem narrationem exhibet (cap. 6); quamquam nomen auctoris non addit. Capitum autem antecedentium alterum, quartum, quintum Varronem nominant auctorem. Ineunte autem capite sexto huic, quam etiam Plinius affert, explicationi alteram ab Aristotele datam opponit. Quae cum ita sint, prior explicatio mea quidem sententia nulla alia esse potest, quam eius quem usque ad hoc caput secutus est: Varronis.

Num quae de vinis murra conditis § 92 dicit ex eodem scriptore, ex quo hausit Pollux VI, 17 exscripserit nescio, neque enim similitudo invenitur. Quae sentiam si quaeris: mihi etiam haec Varronis doctrinam sapere videntur nec minus ea quae secuntur (usque ad § 97). cf. § 96: „M. Varro his verbis tradit" seq.

Atque ut transeamus ad sequentes paragraphos in iis, quae Plinius de omphacio dicit (§ 98) inveniemus quae valde cognata sint Dioscoridi. Multis enim locis Plinius de omphacio loquitur atque ita ut singulis recedat ad id, quod priore iam loco commemoravit. Quare opus est summam rei ex omnibus Plinii de omphacio commentariis conferre atque quod eruimus cum Diosc. V, 6 comparare. Praebent autem

V 6. Ὀμφάκιόν ἐστι μὲν χυλὸς ὄμφακος θασίας	XII, 130. Omphacium fit e vite et olea
σταφυλῆς μήπω περκαζούσης	olea adhuc alba priusquam cibo matura sit iam tamen colorem mutans — et in vite

ἢ ἀμιναίας, δεῖ δὲ πρὸ κυνὸς ἐκθλίβοντα τὸν χυλὸν..	psythia fit aut aminea ante canis ortum.

et de vi medica exhibent.

V, 6. ἁρμόζει δὲ πρὸς παρίσθμια καὶ σταφυλὴν, ἄφθας,	XXIII, 7. sanat ea quae in umore sunt ulcera ut oris, tonsillarum ......
οὖλα πλαδαρὰ, ὦτα πυορροῦντα, τραχύτητι δὲ ὀφθαλμῶν ἁρμόζει καὶ περιβρώσεσι κανθῶν κ. τ. λ.	auribus purulente limosis, oculorum claritati plurimum profert, scabritiae genarum, ulceribus angulorum et cet.

conferas deinde

V, 33. ὁ δὲ οἰνάνθινος σκευάζεται οὕτω. λαβὼν τῆς ἀγρίας ἀμπέλου τὸ ἄνθος βρυούσης ξηρὸν μνᾶς β' εἰς μετρητὸν γλεύκους πρὸς ἡμέρας λ', εἶτα διυλίσας ἀπόθου.	XIV, 98. fit elabrusca hoc est vite silvestri, quod vocatur oenanthinum; flores eius libris duabus in musti cado macerati post dies XXX mutantur.
V, 13. γίγνεται καὶ ἀδύναμος κ. τ. λ. δεῖ δὲ ἴσον [1]) μέρος ὕδατος τῷ τοῦ γλεύκους μίξαντας ἑψῆσαι πραέως πυρὶ μαλακῷ, ἕως ἂν ἐξαναλωθῇ τὸ ὕδωρ.	XIV, 100. — adynamon — albi musti sextariis XX aquae dimidium fervet donec excoquatur aquae mensura.
ἔνιοι δὲ θαλάσσης πελαγίας καὶ ὕδατος ὀμβρίου καὶ γλεύκους ἴσα μίξαντες καὶ καταγγίσαντες, ἡλιάζουσιν ἐπὶ ἡμέρας μ'.	alii marinae sextarios decem, tantumdem pluviae, [mustique] in sole quadraginta diebus torrent.

videas deinde Diosc. V, 40. 41 et Plin. XIV, 102. congruunt autem Plinius (usque ad § 115) et Dioscorides mirum in modum inter se de iis rebus, quas pariter afferunt. Unum etiam exemplum exscribam.

[1]) pro ἴσον scribas ἥμισυ.

V, 66. ὁ δὲ νεκταρίτης σκευάζεται ἐκ τοῦ ἑλενίου, ὃν ἔνιοι μηδικὴν, οἱ δὲ σύμφυτον, οἱ δὲ ἰδαῖον φλόμον, οἱ δὲ Ὀρέστειον, οἱ δὲ νεκτάριον καλοῦσιν ἑλενίου ῥίζης ξηρᾶς οὐγγίας ε′ ἐνδήσας εἰς ὀθόνιον κάθες ἐς χόας ς′ γλεύκους.

XIV, 108. Invenitur et nectarites ex herba, quam alii helenion, alii medicam, alii symphyton, alii Orestion, alii nectariam vocant. radice ponderis 40 denariorum in sextarios sex musti addita, similiter in linteo.

conferas etiam Diosc. V, 22 et Plin. XIV, 114, ubi apud Dioscoridem inter ὕδατος et κοτύλας inserendum esse videtur ε′ ὀμβρίου.

Quoniam ostendisse mihi videor, Plinium ut eas paragraphos, de quibus modo disserui componeret, eodem auctore usum esse atque Dioscoridem, nunc transeo ad Plinii librum vicesimum tertium, cuius origo ad eundem referenda est auctorem. Videas, quanta cognatione inter se contineantur.

Diosc. V, I. et

ἀμπέλου οἰνοφόρου τὰ φύλλα καὶ αἱ ἕλικες λεῖαι καταπλασσόμεναι κεφαλαλγίας πραΰνουσι, φλεγμονήν τε στομάχου καὶ καῦσον σὺν ἀλφίτῳ κ. τ. λ.

Plin. XXIII, 3.

folia vitium et pampini capitis dolores inflammationesque corporum mitigant cum polenta et cet.

de omphacio cf. p. 12.

V, 8. Οἰνάνθη καλεῖται ὁ τῆς ἀγρίας ἀμπέλου καρπὸς — καλλίστη δὲ γίγνεται ἐν Συρίᾳ δύναμις δὲ αὐτῆς στυπτική, ὅθεν πινομένη εὐστόμαχος καὶ οὐρητική . . . .
. . καυθεῖσα δ᾽ ἐπ᾽ ὀστράκου διαπύροις ἄνθραξι
ποιεῖ πρὸς τὰ ὀφθαλμικὰ, παρωνυχίας τε καὶ πτερύγια . . . . . θεραπεύει

XXIII, 8. Omphacio cohaeret oenanthe, quam vites silvestres ferunt — laudatissima in Syria. Refrigerat, adstringit, stomacho inlinitur . . . .
Cinis eius
ad collyria et ad ulcera purganda et paronychia et pterygia probatur.

V, 3. σταφυλὴ ἡ μὲν πρόσφατος πᾶσα ἐκταράσσει κοιλίαν καὶ ἐμπνευματοῖ στόμαχον κ. τ. λ.

10—11 recentes stomachum et spiritus inflatione alvum turbant et cet.

conferas porro Plin. 23, 10—12 cum Diosc. V, 3, Plin. XXIII, 13—16 cum Diosc. V, 3—4, Plin. XXIII, 17—18 cum Diosc. IV, 153, Plin. XXIII 19 cum Diosc. IV, 180, Plin. XXIII, 21—26 cum Diosc. IV, 181—182 (agunt autem his paragraphis de vite alba et nigra et est alter commentarius alteri plane similis; ita tantum Plinius a Dioscoride discrepat, ut quae Dioscorides tribuat viti nigrae, ipse saepius dicat de vite alba).

Quae cum de vitium generibus tradiderit, transit ad musti vires medicas, quae iterum eaedem sunt atque apud Dioscoridem. (cf. Plin. XXIII, 29—30 cum Diosc. V 10.)

De vinis Italicis quae secuntur iam disserui, commentarium autem subsequentem §§ 37—54 cum diligentius perscrutatus eris quasi unum caput esse cognosces. Disserit enim hoc loco Plinius de viribus diversis quae in vino sunt, quales sive vetustate sive colore sive sapore efficiuntur. Qua de re etiam Dioscorides agit, sed ita ut argumentum ab auctore praebitum in breviorem contraxerit formam, quare cum quaestio paulo fiat intricatior, opus est accuratius in hanc rem inquirere. Dicunt autem:

Diosc. V, 11	Plin. XXIII, 37
κοινῶς δὲ πᾶς ἀμιγὴς οἶνος καὶ ἀκέραιος	vino
. . . θρεπτικὸς . . . . εὐχροίας παρασκευαστικὸς	aluntur vires, sanguis, colos hominum.
	38. Vino modico nervi
11. μέθη πᾶσα — νεῦρα πολιορκούμενα καθ' ἑκάστην ἐνδίδωσι	juvantur, copiosiore laeduntur.
— πρὸς δὲ τραύματα καὶ φλεγμονὰς σὺν ἐρίοις οἰσυπηροῖς ἐπιτιθέμενοι	collectiones extra lanis umidis impositis mitigat
9. ὁ μὲν γὰρ γλυκὺς οἶνος —	dulce
στομάχου πνευματικώτατος.	2) stomacho innatat
κοιλίας τε καὶ ἐντέρων ταρακτικὸς — ἧττον δὲ μεθύσκει	1) minus inebriat

8. ὁ δὲ μέλας παχὺς καὶ δύςπεπτος, μέθης καὶ σαρκῶν γεννητικὸς . . .	39. Stomacho minus utile est pingue, nigrum sed corpora magis alit.
οἱ μέντοι λεπτοὶ καὶ αὐστηροὶ εὐστόμαχοι, ἧττον δὲ σαρκοποιοί	tenue et austerum 2) magis stomachum nutrit 1) minus alit
11. δεῖ μέντοι μετὰ τὴν οἴνωσιν ὕδωρ πίνειν	42. aquae potum interponere utilissimum.
— ἀμιγὴς οἶνος καὶ ἀκέραιος κοινῶς δὲ ποθεὶς βοηθεῖ τοῖς κώνειον ἢ κόριον ἢ φαρικὸν ἢ ἰξίαν ἢ μηκώνειον ἢ λιθάργυρον ἢ σμίλακα ἢ ἀκόνιτον ἢ μύκητας εἰληφόσι κ. τ. λ.	43. Merum quidem remedio est contra cicutas, coriandrum, viscum, meconium, argentum vivum, aconita, — et seq.

§ 44 deinde de cardiacorum morbo disserit, quo cum commentario conferendum est, quod Caelius Aurelius s. tit. „Utrum recte Asclepiades cardiacos curaverit“ (Acut. Morb. II, 39) narrat.

Cael. Aur. II, 39	Plin. XXIII, 44
Item post iniectionem adhibet cataplasma sinistrae mamillae constrictivae virtutis	Cardiacis in mamma laeva merum in spongea imponi prodest

Praeterea uterque usum damnat vini gypso conditi (Diosc. V, 9 Plin. XXIII. 45) deinde iisdem verbis uterque de vino pice condito loquitur (Diosc. V, 9 Plin. XXIII, 47), tum id vinum optimum esse dicit, quod mediam habeat aetatem (Diosc. V, 7 Plin. XXIII, 40), suadet, ut quisque animadvertat, cui potum det (Diosc. V, 11 Plin. XXIII, 50 et 51, quae capita apud Dioscoridem quidem non habent quocum comparari possint accuratius; sed Celsum legas (III, 19) et Cael. Aur. M.A. II 39, qui testem affert Asclepiadem, videbis sententias quas Plinius affert ad Asclepiadis redire praecepta,) denique etiam de palmeo uterque idem profert (cf. Diosc. V, 40 et Plin. XXIII, 53.)

Quae cum ita sint facile concedes, hisce in rebus Dioscoridem et Plinium ad eundem auctorem redire.

Restat, ut in extremam huius libri partem ad vina spectantem inquiramus. Atque proficiscitur Plinius ab aceto tractando, de quo multa fecit verba, quae et ipsa intima cognatione cum Dioscoridis verbis de eadem re factis coniuncta esse mox intelleges. Contraxit autem Plinius in unum commentarium quae Dioscorides et de aceto et de aceto salso exhibet, quod suo iure facere potuit, etenim si Dioscoridis verba de aceto (V, 21) cum verbis de aceto salso (V, 23) factis comparaveris, utrumque iisdem fere morbis mederi videbis. produnt autem:

Diosc. V, 21	Plin. XXIII, 54
ὄξος ψύχει καὶ στύφει	aceto summa vis est in refrigerando.
ἔστι καὶ εὐόρεκτον	fastidia discutit.
στέλλει καὶ ὑστέραν καὶ ἕδραν προπεπτωκυῖαν	sistit procidentia sedis volvaeque.
βδέλλας δὲ ποθείσας	medetur potae hirudini —
καταρροφούμενον ἀποβάλλει —	
ποιεῖ καὶ πρὸς νομὰς καὶ	idemque
ἐρυσιπέλατα — λέπρας	lepris furfuribus.
λειχῆνας κ. τ. λ.	56. contra lichenas bibitur etc.

deinde conferas Plin. XXIII, 59 cum Diosc. V, 26; Plin. XXIII, 60 cum Plin. XIV, 114 et Diosc. V, 22; Plin. XXIII, 63—67 cum Diosc. V, 131.

Quoniam ostendisse mihi videor, quae in libro XXIII de vino graeco vinisque ficticiis produntur, ex eiusdem auctoris libris, quibus etiam Dioscorides est usus, hausta esse, nunc mihi probandum erit (quatenus hoc nondum feci) librum vicesimum tertium et librum decimum quartum in iis partibus, quae inter se respondeant, eandem habere originem. Quod fit verisimile primum, quia semper eundem auctorem et Plinius et Dioscorides secuntur et intellegi non potest, quanam causa uterque sit commotus, ut subito fontem communem derelinqueret, ut alium sed et ipsum communem adiret. Quare quamquam Plinius per multa capita nomen auctoris Asclepiadis non profert, attamen cum pluribus locis,

quos communes habeat cum Dioscoride cum afferat auctorem, cum alii scriptores iis locis, quibus cognatione cohaerent cum Plinio aperte et dilucide Asclepiadem testem nominent (cf. p. 19 et quae infra de Asclepiade a Celso teste allato dicam), omnibus his locis eum ad Asclepiadis disciplinam redire statuo. Probatur autem veram esse hanc sententiam multis intimisque cognationibus, quae inter hos duos libros exstant: nam non solum res similes amplectuntur, tota quoque enuntiata sunt paria. Sicut lib. XIV, 114 si cum lib. XXIII, 60 contuleris, duobus illis locis plane iisdem vocibus uti intelleges scriptorem. Verba sunt haec:

Plin. XIV, 114	Plin. XXIII, 60
Oxymeli hoc vocarunt,	Oxymeli, ut Dieuches tradit,
mellis decem libris,	hoc modo temperabant: mellis
aceti veteris heminis	minas 10, aceti veteris heminas
quinque, salis marini	quinque, salis marini pondo
libra,	libram quadrantem
aquae pluviae sextariis	aquae pluviae sextarios
quinque	quinque pariter coquebant
suffervefactis deciens,	deciens defervescente
	cortina atque ita diffundebant
mox elutriatis atque ita	
inveteratis.	inveterabantque.
omnia ab Themisone summo	sustulit totum id Asclepiades
auctore damnata.	coarguitque etc.

Iam vero vides, quomodo Plinius libellos composuerit. Eosdem auctores ante oculos habebat cum scriberet libros et decimum quartum et vicesimum tertium, sed argumentum ab auctore praebitum divisit; gratias autem agimus Plinio, quod nimis incautus hoc loco fuerit. Ita enim res se habet: auctor dixit, quomodo singula genera vini pararentur quemque usum haberent in arte medica. Plinius autem argumentum ita divisit, ut libro XIV de compositione, libro XXIII de usu medico cuiusque rei ageret. Qua eadem ratione usus est, cum omphacium tractaret (cf. p. 19-20) et uvam theriacam (et musti vires). Nam videas:

Plin. XIV, 117	Plin. XXIII, 14
apud eosdem vitis theriaca vocatur, cuius et vinum et uva contra serpentium ictus medetur.	uva theriaca, de qua suo loco diximus, contra serpentium ictus estur.
et in libro vicesimo tertio	
29. mustum — a balineis raptim et sine interspiratione potum necat.	62. sapa (musto decocto) — Fabianus auctor est venenum esse, si quis ieiunus a balineis id bibat.

Quae cum ita sint, satis corroborata videtur esse opinio nostra, ut utramque Plinii partem de qua modo disseruimus ad Asclepiadis praecepta redire nostro iure dicere possimus. Hic quaerat quispiam, num ex ipso Asclepiade Plinium hausisse credam. Qua de re aptiore loco verba faciam.

Nunc venio ad Athenaeum, qui inde a pag. 25 f. usque ad finem libri primi de vini diversis generibus agens permulta exhibet, quae apud alios scriptores non leguntur. Argumentum autem ipsum in duas partes est dividendum, quarum altera debetur Athenaeo ipsi altera aliis scriptoribus. Atque quae praebet p. 26 a ad medicum aliquem referenda esse alii scriptores comparati vel medici ipsi vel medicorum libris usi docent.

De vino autem vetere quae Athenaeus tradit neque Dioscorides neque Plinius omnia afferunt, neque quae cognata commentario Athenaei afferunt ad solum vinum vetus referunt. Sed huic rei vix multum tribuendum esse credo, nam cum de vetere vino, non de vino in universum Athenaeus agat, verisimillimum est, eum etiam de vino novo medioque egisse; quare neminem nos vituperaturum esse spero, si non solum id quod ceteri scriptores de vino vetere dicunt, cum Athenaei commentario conferemus sed etiam alia; videamus igitur quae singuli exhibeant.

Ath. 26 a	Plin. XXIII, 38 (Diosc. V, 11)
πέσσει τε γὰρ μᾶλλον τὰ σῖτα καὶ λεπτομερὴς ὢν	vetus — austerum facile concoquitur

εὐανάδοτός ἐστι,	εὐανάδοτος
δύναμίν τε τοῖς σώμασιν ἐμποιεῖ.	37. vino aluntur vires,
τὸ αἷμά τε ἐνερευθὲς καὶ εὐανάδοτον κατασκευάζει καὶ	sanguis colosque
τοὺς ὕπνους ἀταράχους παρέχει	somnus conciliatur. (ὑπνοποιός)
	cf. Galen περὶ κράσεων III, 2.

Iam vero vides fere omnia quae Athenaeus praebet etiam apud ceteros huius ordinis scriptores legi; sed intuearis quaeso Athenaei verba: quonam iure dici potest omnis generis vinum esse λεπτομερές? Verum esse quod modo diximus intellegis, epitomatorem duas sententias vel potius maius enuntiatum in brevius contraxisse.

Ath. 26, a	Plin. 23, 38
ἐπιδέχεται δὲ πλείω κρᾶσιν ὁ παλαιὸς οἶνος διὰ τὸ μᾶλλον θερμὸς γίγνεσθαι παλαιούμενος	vetus copiosiore aqua miscetur.

Ath. 26, c	Diosc. V, 8
ὁ δὲ λευκὸς ἀσθενὴς καὶ λεπτὸς	ἔστιν ὁ μὲν λευκὸς λεπτός τε καὶ εὐανάδοτος καὶ εὐστόμαχος ὑπάρχει.
b. μέλας — δυναμικώτατος γάρ ἐστι καὶ μένων ἐν ταῖς ἕξεσι τῶν πινόντων πλεῖστον χρόνον	ὁ δὲ μέλας παχὺς καὶ δύσπεπτος μέθης καὶ σαρκῶν γεννητικὸς cf. Plin. 23, 38.

Quae si inter se comparaveris et quo statu hic Athenaei commentarius utatur tecum reputabis, similitudinem inter Athenaeum, Plinium, Dioscoridem esse concedes.

Sequenti autem capite transit Athenaeus ad vina italica, quae singula per se accuratius esse tractata ex ea ratione cognoscis, qua de primis disserit vinis de Falerno, Albano, Surrentino; optimus igitur epitomator his tribus generibus diligentius tractatis satis sibi desudasse videbatur.

Atque tradit Athenaeus p. 26, c ὁ Φαλερῖνος οἶνος ἀπὸ ἐτῶν δέκα ἐστὶ πότιμος καὶ ἀπὸ πεντεκαίδεκα μέχρι εἴκοσιν. Ex ipsis autem verbis ἀπὸ δέκα καὶ ἀπὸ πεντεκαίδεκα concludi

mihi posse videtur, scripturam nos ante oculos habere mutilatam, nam quis est qui hoc modo tempus definiat? Duplici modo ut hunc locum sanes uti potes. Aut enim librarius, cum scripsisset post quem numerum annorum id vinum bibi posset, errasse sese intellegens, verum numerum margini adscripsit indeque hic in contextum verborum inrepsit. Sed quis numerus recte sese habet? Dicit Plinius XXIII, 34 „Falernum nec in novitate nec in nimia vetustate salubre est, media eius aetas a XV annis incipit“. Iam vero quo in numero error lateat intellegis. Scripserat librarius δέκα, margini adscripsit πεντεκαίδεκα; alius quis utramque scripturam καὶ ἀπὸ addens verbis scriptoris ipsis inseruit. Ergo pro δέκα scribas πεντεκαίδεκα et καὶ ἀπὸ eicias.

Sed ut iam dixi etiam aliter de hoc loco iudicari potest. Fortasse enim in πεντεκαίδεκα latet Plinii vox „media“ eius aetas. Quod si magis tibi arridet, solam particulam καὶ eicias et lacunam inter πότιμος et ἀπὸ πεντεκαίδεκα statuas. Ad quam lacunam explendam e re erit contemplari, quomodo de aliis vinis Athenaeus locutus sit. Videmus autem saepius eum discernere inter vires vini recentioris et vetustioris, sicut cum de Surrentino agit et praecipue de Tiburtino. Ergo fortasse sensus huius loci hic erat: ὁ Φαλερῖνος οἶνος ἀπὸ ἐτῶν δέκα ἐστὶ πότιμος, χρησιμώτερος δὲ ἀπὸ πεντεκαίδεκα μέχρι εἴκοσι (cf. etiam verba de Signino ab Athenaeo facta 27 b).

Medico autem etiam hunc Athenaei commentarium deberi ex verbis de Falerno factis apparet, nam ad quem alium nisi ad medicum aliquem referri possunt verba ὁ δὲ ὑπὲρ τοῦτον ἐκπίπτων χρόνον κεφαλαλγικὸς καὶ τοῦ νευρώδους καθάπτεται? optime autem haec verba ad Dioscoridem quadrant de vino vetere proferentem V, 7: οἶνοι οἱ μὲν παλαιοὶ νεύρων βλαπτικοί. Atque etiam alia verba huius commentarii auctorem fuisse medicum demonstrant sicut quae 26 c dicit: χρήσιμος καὶ ὁ Πριούερνος λεπτομερέστερος ὢν τοῦ Ῥηγίνου, ἥκιστά τε ἁπτόμενος τῆς κεφαλῆς et Στατανὸς — οὐ πληκτικός f. Μαρσικὸς — εὐστόμαχος. p. 27 a Βυξεντινὸς — εὐστόμαχος. Καληνὸς — εὐστομαχώτερος. Φουνδανὸς εὔτονος, πολύτροφος, κεφαλῆς καὶ στομάχου ἅπτεται,

c. Τρεβελλικὸς — εὐστόμαχος, εὔστομος (quae duae voces saepissime etiam a Dioscoride coniunguntur) et cet.

Quae cum ita sint concludere possumus, auctorem praebuisse et numerum annorum, quos praeteriisse oporteret ut iucundo et salubri potu singula genera fierent, (cf. etiam 26 d, ὁ δὲ Ῥηγῖνος — χρησιμώτερος ἀπὸ ἐτῶν πεντεκαίδεκα, et 26 f. ὁ Λαβικανὸς — ἡ δὲ αὐτοῦ πόσις ἀπὸ ἐτῶν δέκα et Οὐλβανὸς ἀπὸ ἐτῶν πέντε κ. τ. λ). et vires medicas, quae cuique inessent.

Est autem hoc caput (48) de quo ago summi momenti ad tempus quo fuerit exscriptus auctor vel potius terminum post quem fuerit accurate definiendum. tradunt enim:

Ath. 26 e	et	Plin. XIV, 65
ὁ δὲ Στατανὸς τῶν πρώτων ἐστὶν οἴνων, ἐμφερὴς τῷ Φαλερίνῳ		nam Falerno contermina Statana ad principatus venere non dubie palamque fecere sua quibusque terris tempora esse sicut rerum proventus occasusque.

Vides igitur Athenaei commentarium haustum esse ex auctore qui fere eadem aetate fuit qua Plinii. Quae cum ita sint, facile quis adduci potest, ut credat, etiam eodem auctore utrumque esse usum. Sed haec sententia stare non poterit, si Plinium accurate cum Athenaeo comparabis. Etenim Plinii auctor non est medicus vel rectius ita dicam: Plinii auctor non tam spectabat ad vires medicas, quae cuique vino inessent, quam ad solam vini culturam eodem modo usus quo paragraphis antecedentibus. Quare errare me non credo, si Plinium etiam hoc loco ante oculos habuisse statuo Celsum vel Graecinum. Celsus autem librum suum de agri cultura composuit Meyero auctore annis 20—30 p. Chr. n. (cf. Gesch. d. Botanik II. p. 8), Schanzio cautius ratiocinante (et suo iure) non post annum 38 p. Chr. n. (cf. Mus. Rhen. 1881 p. 362 seq.).

Quod si verum est, Celsum esse Plinii auctorem, non mirandum est his illisve locis etiam legi, quae ad medicinam

pertineant, ut XIV, 65 „nam quod Signiae nascitur, austeritate nimia continendae[1]) utile alvo, inter medicamina numeratur.“ Quod quamquam optime quadrat ad id, quod ex Asclepiade vel discipulo Asclepiadis sumptum Plinius XXIII, 36 exhibet. „Alvo citae Signinum maxime conducere indubitatum“ tamen, si quis concludet, etiam priorem locum ex eodem Asclepiade esse haustum, errabit; hausit illo priore loco ex Celso, quod apparet, si Celsi Med. lib. IV cap 12 comparas, ubi idem remedium hisce verbis commendatur: ‚Vulgatissimum vero pessimumque stomachi vitium est resolutio, id est cum cibi non tenax est‘ et seq. ‚in hoc morbo autem potui aptissimum est vinum — si id non est asperrimum, maximeque Signinum.‘ Nota igitur erat haec vis vini Signini etiam Celso, commemorabat eam, cum in libro de agri cultura de vino illo verba faceret, auctore autem et ipse usus est Asclepiade (cf. quae infra de Celso dicam).

Celsum autem Athenaei auctorem non esse etiam eo elucet, quod quamquam satis magnum numerum vinorum pariter commemorant, nimirum XIII, tamen argumenta cognatione cohaerent nulla. Immo alter alteri interdum aperte oppositus est, ut Athenaeus 26 c prodit de Falerno vino: εἴδη δ᾽ αὐτοῦ δύο, ὁ αὐστηρὸς καὶ ὁ γλυκάζων, Plinius autem exhibet § 62 tria eius genera, austerum, dulce, tenue (cf. etiam § 63) atque in talibus rebus de errore epitomatoris cogitari non potest.

Tertium summopere mirum est, quod Plinius nullo libri XIV loco annos quibus singula genera utilia ad bibendum sint indicat. Denique auctore latine scribente Athenaeum omnino non esse usum Kaibelius me docuit.

Plane aliter autem res comparata est, si Athenaeum cum Dioscoride et Plinii libro XXIII comparamus. Ibi Plinium de uno saltem vino a quo anno bibi possit narrare iam dixi: verisimile igitur est, auctorem accuratius de singulis generibus loquentem hanc rem semper commemorasse:

[1]) scribas vel ‚austeritatem nimiam continendo‘ vel ‚austeritate nimia cohibendae‘ cf. XXIII, 41.

dolendum autem est, quod etiam Dioscorides vina Italica ipsa non tam tractat quam tangit. sed videamus, num quae inter hos commentarios similitudo sit. dicunt autem:

Ath. 26 c	Diosc. V, 10
ὁ Φαλερῖνος οἶνος — μέχρι εἴκοσιν. ὁ δὲ ὑπὲρ τοῦτον ἐκπίπτων χρόνον κεφαλαλγικὸς καὶ τοῦ νευρώδους καθάπτεται cf. Ath. 33 a.	ὁ φάλερνος — παλαιωθεὶς πρὸς πολυποσίαν ἀνάρμοστος cf. V, 7 οἶνοι οἱ μὲν παλαιοὶ νεύρων βλαπτικοί.

Quod Dioscoridi de vino falerno loquenti adscripsi: οἶνοι οἱ μὲν παλ. seq. ex alio quidem capite quo de vini indole pro aetatis ratione disserit sumptum est, sed Dioscoridis auctorem hoc iterasse, cum de vino falerno ageret, cognoscitur ex verbis quae de vino Albano fecit: ὁ Ἀλβανὸς — τοῦ νευρώδους ἧττον κακωτικὸς (cf. Plin. 23, 35). Quae verba referenda esse ad vim aliquam falerno tributam, quis est qui non videat?

Ath. 26 d	Diosc. V, 10
Συρρεντῖνος — ὢν γὰρ ἀλιπὴς καὶ λίαν ψαφαρὸς	Συρρεντῖνος — λεπτομερὴς ὢν cf. Plin. 23, 35.
33 a ὁ δὲ Ἀδριανὸς καλούμενος εὔπνους, εὐανάδοτος. ἄλυπος τὸ σύνολον	ὁ δὲ Ἀδριανὸς
27 d ὁ δὲ Μαμερτῖνος ἔξω μὲν τῆς Ἰταλίας γίγνεται καὶ γενόμενος ἐν Σικελίᾳ καλεῖται Ἰωτάλινος [1]) ἡδὺς δέ ἐστι, κοῦφος, εὔτονος.	καὶ ὁ Μαμερτῖνος γενόμενος ἐν Σικελίᾳ ἧττόν τε τοῦ νευρώδους ἅπτονται διὰ τὸ ἐν αὐτοῖς λεῖον.

Satis autem similis et cognatus uterque commentarius esse videtur, praecipue cum, quod Kaibelius mox ostendet, Athenaeus his locis non semel sed bis in breviorem formam sit redactus, ut ad eundem auctorem utrumque redire nostro nobis iure dicere videamur. Huc accedit, quod Athenaeus eodem modo discernit inter vini vires, utrum novum sit an

[1]) Detlefsen Ἰωτιτιανὸς cf. Kurze Notizen über einige Quellenschriftsteller des Plinius, Glückstadt 1881, p. 7.

vetus, quo Dioscorides; denique etiam Athenaei auctor eandem partitionem habuisse videtur quam Dioscoridis, qui § 10 περὶ διαφορᾶς ἐκ τῶν τόπων et § 11 περὶ δυνάμεως τῶν οἴνων loquitur; nam ut haec duo capita inter se sunt simillima ita apud Athenaeum quae p. 26 c—27 d produntur iis, quae p. 33 a leguntur.

Atqui Dioscorides arta cognatione continetur cum Plinio (cf. quae de Plin. lib. 23 dixi), Plinius Asclepiadem aliquem sequitur, ergo etiam Athenaeum medico huic ordini adscribendo usum esse constat.

Quae secuntur ὅτι παρ' Ἰνδοῖς usque ad οἰνοποιὸς arte cohaerere videntur cum iis, quae initio cap. 51 narrantur: ea autem quae cap. 49 et 50 leguntur argumento quod praebent cum antecedentibus vix coniungi possunt. Auctor primarius igitur non potest esse idem utroque loco. Atque quae cap. 49 praebet, Athenaeus ipse addidit cf. p. 336 d, amplectitur autem ea quae singulis oppidis propria sunt, itidem cap. 50, quo narratur, quae singulis regionibus propria sint, ex alio auctore fluxisse oportet. Quare, cum vinum aut obiter aut omnino non commemoretur, quomodo cum antecedentibus cohaereant, nescio. — Fortasse id ipsum, quod alia regio alium vinum profert, movit eum, ut quibus rebus aliae urbes vel regiones florerent narraret. Athenaeum autem non ipsum haec excerpsisse ex scriptoribus, sed alii debere Polluce VI, 67 comparato luce clarius fit. (cf. infra et de nominum auctorum mutatione vide Dindorfium ad Ath. l. c.).

Cap. 51 et ipsum in duas partes dividendum est, quarum alteram usque ad verba οἶνος Λέσβιος — φησὶ Κλέαρχος ex alio hausit, alteram autem ipse addidit.

Idem dicendum est de cap. 52 et 53, initium enim (quod de Aristophane agit) et exitum (de Phania sumptum) ex alio hausit, cetera ipse ex comoediis excerpsisse potest.

Verba igitur lingua soluta scripta verisimile est eum ex alio hausisse et ipso de eodem argumento agente. Cuius verbis ipse versus ex poetis mediae comoediae sumptos inseruit. Quae si ita sunt, videndum est, num cum adderet

versus iam ante oculos habuerit sola vinorum nomina, deinde num erui possit, quem sequatur ipse Athenaei auctor.

Atque Clemens Alexandrinus cum Athenaeo etiam in ordine vinorum servando fere congruit, Pollux plane alium praebet, qua ex re nihil contra communem auctorem concludi oportere uno exemplo ad hanc ipsam provinciam pertinente demonstrabo.

Loquitur Pollux VI, 19 de vasis, quibus vinum hauritur; X, 70 eandem rem tractat. Atque quamquam illi loci diversa origine usi esse videntur, tamen Pollux neque altero loco de suo loquitur ingenio neque alium auctorem sequitur, quod si alterum ordinem cum altero comparabis facile intelleges. Priore enim loco VI, 19 nomina ita praebet, ut auctor ei tradidit, omittit tantum quod ille de lepastae usu addiderat; altero autem loco, quo hoc praetermittere noluit, cum auctoris libro iterum perlecto vidisset, cetera vasa nullis aliis rebus certius esse definita, hoc nomen extremo ponere sibi proponens loco, cum initium fecisset a duabus illis vocibus primariis, ita enumerabat, ut ab illa voce proficisceretur, quae primum in fine posita erat (κύαθος). Ordo igitur X, 70 cum VI, 19 comparatus nullus alius est nisi a tertia voce inversus. Qua re probatur Pollucem utroque loco eodem auctore usum esse.

Plinius autem et Dioscorides de vinis graecis non multa verba faciunt; quamquam ipsis his scriptoribus comparatis auctorem accuratissime de vinis graecis locutum esse apparet. Quare cum non habeamus, quocum fusa illa verba Athenaei comparemus (nam etiam Clementis commentarius brevior est), hanc quaestionem in medio relinquimus. Quamquam quae sentiam non celabo; etenim cum, quae de vinis italicis dixit, praecepta Asclepiadis sapiant, et cum sine dubio inde etiam satis multa nomina vinorum graecorum haurire potuerit, haec quoque nomina inde eum sibi sumpsisse versusque, quos praebet, addidisse probabile mihi videtur esse. Quamquam etiam ex iis comicis, quos ipse legit, non omnes versus, quos attulit, ipse excerpsisse videtur. Credo enim, ut unum proferam exemplum, quod de Mendaeo dicit 29 d, eum non

hausisse ex ipsius Cratini comoedia, sed ex auctore, quem sequitur. Versus autem sunt:

νῦν δ' ἢν ἴδῃ Μενδαῖον ἡβῶντ' ἀρτίως
οἰνίσκον, ἕπεται κἀκολουθεῖ, καὶ λέγει·
οἴμ' ὡς ἁπαλὸς καὶ λευκός. ἆρ' οἴσει τρία.

Quod ut credam Pollucis adducor verbis VI, 16: ἐπῄνουν δὲ οἶνον τὸν τρία φέροντα, τουτέστι ὕδατος τὸ τριπλοῦν. Mirum enim est nec silentio praetermittendum, hanc ipsam rationem vini miscendi hoc loco afferri, quod ne fortuito factum esse credas, legas librum decimum, ubi multas alias miscendi rationes allatas invenies. Sed hanc in rem infra altius inquiram.

Iam vero animum advertamus ad ea, quae mea quidem sententia neque apud medicum invenit neque ipse ex singulis auctoribus excerpsit. Testes his locis afferuntur p. 30 a Agathocles, b et d Eparchides Semosque, qui mirum in modum non tam de vino Pramnio agit quam de origine huius vocis (grammaticorum legis doctrinam), nec deest huic ordini Didymus. Qui omnes ad eam quaestionem, quam proposuimus, solvendam nunc quidem usui non sunt. Plurimum autem valet quod legimus p. 31 b: „Ἵππυς δὲ ὁ Ῥηγῖνος τὴν εἰλεὸν καλουμένην ἄμπελον βιβλίαν φησὶ καλεῖσθαι, ἣν Πόλλιν τὸν Ἀργεῖον, ὃς ἐβασίλευσε Συρακοσίων, πρῶτον εἰς Συρακούσας κομίσαι ἐξ Ἰταλίας. εἴη ἂν οὖν ὁ παρὰ Σικελιώταις γλυκὺς καλούμενος Πόλλιος ὁ βίβλινος οἶνος.' Quae conferenda sunt cum Pollucis verbis „καί που καὶ γλυκὺς Πόλλιος, ἔστι μὲν ἐκ Συρακουσῶν, Πόλις δ' αὐτὸν ὁ Ἀργεῖος πρῶτος ἐπεσκεύασεν, ἀφ' οὗ καὶ τοὔνομα ἢ ἀπὸ τοῦ Συρακουσίων βασιλέως Πόλλιδος, ὡς Ἀριστοτέλης λέγει' Quod si credit Casaubonus aliud esse quod Athenaeus aliud quod Pollux praebeat, vehementer errat, nam quae apud Pollucem leguntur etiam apud Athenaeum inveniuntur. Atque communis auctor non solum Aristotelem sed etiam Hippyn Rheginum testem attulit. Pollux autem priori historiae nomen auctoris non addidit. Athenaei epitomator quod traditum erat et a Polluce servatum est in unam historiunculam contraxit. Huc accedit gravissimum testimonium, quod apud utrumque legitur,

Poll. l. c.	Ath. l. c.
καί που καὶ γλυκὺς Πόλλιος.	εἴη ἂν οὖν ὁ παρὰ Σικ. γλυκὺς καλούμενος Πόλλιος ὁ βίβλινος οἶνος.

cf. et Clem. Alex. et infra.

deinde inter se conferenda sunt, quae praebent

Ath. 31 e	Poll. VI, 16
καὶ γλύξις δ' οἶνος καλεῖται ὁ τὸ ἕψημα ἔχων	καὶ σίραιον δ' ἐκάλουν τὸν ἐκ γλεύκους ἡψημένον γλυκύν

cf. et Eustath. p. 1385, 14 et infra.

Eodem deinde conexu uterque loquitur de deuteria, (cf. Suidam s. v. ἀμφίας) de vino αὐτίτῃ, de ‚τρίμμα' (noli in eo offendere quod alter appellat ἀρχαίους alter νέους κωμικούς. Nam ut didicimus illorum temporum homines Menandrum eiusque aequales etiam ἀρχαίους nominabant cf. C. I. A. II, 975).

Quae omnia eo praecipue sunt afferenda, quod quasi uno tenore ac nullis aliis rebus huc non pertinentibus disparata ab Athenaeo enumerantur. Nec vero silentio praetermittendum est, utrumque vinum conditum (Poll. VI, 18 Ath. 31 b), Pollucem extremo Athenaeum etsi non postremo loco inter omnia vina attamen hoc conexu extremo praebere loco. Denique uterque vinum murra conditum commemorat (Ath. 32 b' Poll. VI, 17) mentionemque facit — quamquam hoc levius est — etiam temperationis vini Maronei (cf. Ath. 26 b Poll. VI, 18). Ergo etiam his locis alter alteri cognatus esse videtur. (cf. ea, quae de Polluce cum Plinio comparato dixi).

Athenaei verba quae secuntur p. 31 f etiam apud Plinium inveniuntur XIV, 116 (et apud Ael. Var. Hist. XIII, 6). Verba autem apud utrumque plane eadem sunt. Atque potuerunt sane et Athenaeus et Plinius has narrationes ex ipso Theophrasto haurire. attamen Plinius, quis auctor esset, ignorabat; neque enim intelligitur cur, si nomen illud cognitum haberet, id narrationi suae non anteposuerit. Extremam autem partem libri XIV de vino agentem Plinium ex Asclepiadeo aliquo sumpsisse ostendi. Ergo ita res est explicanda, ut Plinii auctor nomen

Theophrasti omiserit vel ne ipse quidem apud auctorem quo utebatur invenerit. Neque vero Athenaeus Theophrasti libros legit, sed hausit hanc historiunculam ex medico illo, quem antecedentibus quoque locis est secutus. Denique hac ex narratiuncula efficitur Athenaeum alium exscripsisse alium Plinium.

Nunc transeo ad p. 32 c 33c (nam praeter vinum murra conditum (33 c) nihil est in p. 32 a— b, de quo disseri possit, hoc de vino autem infra loquar). Atque argumentum quod hi versus amplectuntur ad medicum aliquem redire ultro apparet. Medici autem testes afferuntur Diocles, Praxagoras, Mnesitheus Atheniensis, qui omnes ad rationalem sectam pertinent, cf. Galen, XIV 683 Kühn. Quae praeter horum medicorum verba affert, nominatim refert ad neminem, quare veri haud dissimile est in libro quo utebatur illorum medicorum nomina ipsa ab auctore allata eum invenisse. Quod quam verum sit postea videbis.

Atque est etiam hic commentarius similis commentariis medicorum ad sectam Asclepiadis pertinentium. Tradunt autem

Ath. 32 d	Diosc. V, 9 Plin. XXIII, 45
οἱ δὲ ἐπιμελέστερον τεθαλαττωμένοι ἀκραίπαλοί τέ εἰσι καὶ κοιλίας λύουσιν ἐπιδάκνουσί τε τὸν στόμαχον. ἐμφυήσεις τε ἐνεργάζονται καὶ συγκατεργάζονται τὴν τροφὴν.	ὁ δὲ τεθαλαττωμένος 2. εὐκοίλιος (Cels II, 29 alvum movent . . .) 1. κακοστόμαχος, inutile est stomacho, ἐμπνευματώδης (de Coo V, 10). [cf. V, 27 κακοστόμαχοι καὶ οὗτοι καὶ πνευμάτων γεννητικοί]

Tum etiam de Rhodio vino similitudo aliqua agnoscenda est, exigua quidem sed quae non sit praetermittenda, praebent enim

Ath. 32 e	Plin. XIV, 79
ἱκανῶς δὲ ὁ Κῶος τεθαλάττωται.	
καὶ ὁ Ῥόδιος δὲ ἐλάττονος μὲν κεκοινώκηκε θαλάσσης, ὁ δὲ πολὺς αὐτοῦ ἀχρεῖός ἐστι.	Rhodium Coo simile est. Phorineum salsius Coo.

Uterque igitur non magnam copiam salis in se continere Rhodium tradit: vides autem etiam Athenaeum coniungere Rhodium cum Coo.

Ath. 33, a	Diosc. V, 10
κοινῶς δ' ὁ Χῖος πεπτικὸς, τρόφιμος, αἵματος χρηστοῦ γεννητικὸς, προσηνέστατος, πλήσμιος, et cet.	ὁ μέντοι Χῖος ἁπαλώτερος τῶν προειρημένων εὔτροφος —
33 a ὁ δὲ Ἀδριανὸς καλούμενος εὔπνους, εὐανάδοτος, ἄλυπος τὸ σύνολον. cf. Galen περὶ εὐχυμίας etc. οἱ εὐώδεις—κεφαλὴν πλήττουσι.	ὁ δὲ Πραιτουτιανὸς καὶ αὐτὸς ἐκ τῶν κατ' Ἀδρίαν κομιζόμενος τόπων, εὐώδης καὶ λειότερός ἐστιν. οὐ δὲ λανθάνει πολὺς πινόμενος, φυλάττει δὲ ἐφ' ἱκανὸν τὴν μέθην καὶ καροῖ.

Miraris fortasse quod Adrianum vinum cum Praetutiano comparavi, sed mox intelleges, qua re commotus hoc fecerim. Summum enim scrupulum iniecit mihi verbum καλούμενος, cum cognoscere non possem qua ex causa Athenaeus huic vino hoc verbum nusquam alias ita usurpatum adderet. Huc accedit, quod accuratissime inter se consentiunt vires vini Adriani et Praetutiani, alterum est εὔπνουν alterum εὐῶδες, alterum ἄλυπον τὸ σύνολον alterum λειότερον. denique ipsa verba ἄλυπος τὸ σύνολον indicare mihi videntur, commentarium nos ante oculos habere in breviorem formam redactum. Videas, quam bene quadrent haec verba ad ea, quae apud Dioscoridem secuntur: οὐ δὲ λανθάνει πολὺς πινόμενος κ. τ. λ. Ergo haud scio an Athenaeus ipse ὁ δὲ Πραιτουτιανὸς καὶ αὐτὸς Ἀδριανὸς καλούμενος vel simile quid scripserit.

Ath. 33, b	Diosc. V, 9
ὁ δὲ Ζακύνθιος καὶ Λευκάδιος διὰ τὸ γύψον λαβεῖν καὶ κεφαλὴν ἀδικοῦσιν.	ὁ δὲ τὴν γύψον ἔχων κακωτικὸς τῶν νεύρων, καρηβαρικὸς, πυρώδης . . . cf. Plin. 23, 45.

Tradit igitur Athenaeus vinum gypso conditum capiti nocere; sed etiam alia eum vitia ei tribuisse ostendit particula καὶ ante κεφαλὴν.

Haec sunt quae in cap. 59 iis scriptoribus similia sunt, qui item de vino vinique viribus egerunt, atque quamquam non multa sunt, attamen, qualis est Athenaei liber quem nunc possidemus nescio an haec pauca valeant plurimum. Nam reputes tecum, quam exiguus sit hic Athenaei commentarius, quam diligenter ceteris locis de rebus similibus agat. Ex hoc ipso capite discere potes, multa ab epitomatore esse omissa. Sicut legitur p. 32b ὁ δὲ Λέσβιος στύψιν μικροτέραν ἔχει καὶ μᾶλλον οὐρεῖται. Quo tamen spectant voces στύψις μικροτέρα? an ad vinum quod antecedit Lesbium? At dicit Athenaeus, hoc vinum κοιλίαν εὔλυτον κατασκευάζειν καὶ πλεῖον πινόμενον ἐκλύειν τὸν στόμαχον. Ergo in genuino libro inter Lesbium vinum et Cnidium aliud commemoratum erat, cui vis erat alvi supprimendae. Atque quam accurate Chium est tractatum, quam neglegenter clarissimum illud Falernum et Albanum! Quid quod verba testis allati in breviorem formam redegit? Etenim de Mnesitheo p. 32c allato Varronis quoque testimonium apud Gellium Noct. Att. XIII, 31 exstat, ut alterum cum altero comparare possimus.

Sed redeat unde aberravit oratio.

Sequens caput p. 33d—f ad Aegyptum spectans ita comparatum est similem in modum atque antecedens, ut auctorem medicum fuisse appareat, quod et verba de Maroneo facta probant: πολλὴ δὲ ἡ περὶ τὴν γῆν ταύτην ἄμπελος. ἧς καὶ ἡ σταφυλὴ πάνυ βρωθῆναι εὔστομος καὶ ὁ γενόμενος οἶνος κάλλιστος· λευκὸς δὲ γὰρ καὶ ἡδύς, εὔπνους, εὐανάδοτος, λεπτός, κεφαλῆς οὐ καθικνούμενος, διουρητικός. et de vino circa Coptum orto f. ὁ δὲ κατὰ τὴν Κόπτον πόλιν οὕτως ἐστὶ λεπτὸς καὶ ταχέως πεπτικὸς ὡς καὶ τοῖς πυρεταίνουσι διδόμενος μὴ βλάπτειν (cf. Plin. XXIII, 48: Quod ad febrium valetudines attinet, certum est non dandum (vinum) in febri (cf. Galen. X, 483) nisi veteribus aegris nec nisi declinante morbo, in acutis vero periculis nullis nisi qui manifestas remissiones habeant et cet. — legas etiam Cael. Aur. Morb. Acut. I, 15, 59. (Asclepiades) dicendo vini tutam potationem — inchoantibus et deficientibus febribus magis quam summa tenentibus: et Gumpert fragm. Asclep. p. 123.).

Aliter autem comparatum est hoc caput atque antecedens eo, quod et versus ex poetis sumpti et aliae res ut de vino Maroneo ,τὴν προσηγορίαν λαβοῦσα ἀπὸ Μάρωνος ἑνὸς τῶν μετὰ Διονύσου τὰς στρατείας πεποιημένων· sunt inserta. Ex mero igitur et sincero fonte haec non fluxerunt.

Quae cum ita sint, ut breviter complectamur quae eruimus, Athenaei commentarius in tres partes est dividendus, quarum prima ei ipsi adtribuenda est, altera medico alicui ex schola Asclepiadea orto, tertia scriptori et ipsi uso libro medici ad sectam Asclepiadeam pertinentis, ita tamen uso, ut cum, quod apud illum invenisset, quasi fundamentum iecisset, in quo varios lapides hinc illinc collectos exstrueret, aedificium faceret in quo ornamenta tegerent et occultarent fundamenta.

Quoniam quo recedat Athenaeus apparet, venio ad Aelianum. Quem saepissime summa cognatione cum Athenaeo coniunctum cum alii tum Casaubonus, Meinekius, Dindorfius ex Athenaeo hausisse statuerunt. Qui quo iure sic iudicaverint nescio. Tot enim locis Aelianus plura praebet quam Athenaeus — neque vero de suo addere potuit quae plura praebet — ut illos similitudine quae videtur esse deceptos esse putaverim; cf. Ath. 429 a cum Ael. II, 37, Ath. 429 b et Ael. II, 38; Ath. 438 b et Ael. II, 41; Ath. 442 c et Ael. III, 14 et multa alia.

Quamquam cum, quod Kaibelius mox probabit, omnes Athenaei libri epitomatoris sint, tuo iure dicere potes, his rebus illorum sententiam non refelli. Sed reputes tecum quaeso si quis idem praebet quod alius, qui et ipse non suo ingenio debet quae exhibet sed alii auctori, solane cognatione alterum ex altero hausisse ostenditur? Immo, praesertim cum Athenaeus et Aelianus aequales fuerint, cum habuerint ex quibus quam plurimas huiusmodi res capere possent, grammaticos dico, multo probabilius est utrumque eodem usum esse auctore. Utut est, nam in singulas res ab Aeliano traditas singillatim inquiri oportet, lib. II capite 31 ubi de vino loquitur, tanta tamque intima necessitudine cum Polluce continetur, ut vel ex hac cognatione,

non Athenaeum ab eo exscriptum esse, sed et ipsum et Pollucem ad eundem auctorem redire eluceat.

Quod si Pollucem cum Aeliano comparas, Pollux praebet omnia vina praeter Coum et Rhodium, praeter ea igitur quae aqua marina condiebantur.

Ac primum quidem Aelianus et ipse unde vini Pollii nomen ortum sit tradit atque ita ut Aristotelem sequatur. Tum quod neglegendum non est etiam Aeliani (ut Pollucis) argumentum in partes dividi potest. Nam Pollucem sua excerpsisse ex ampliore commentario indicant verba: καί που καὶ γλυκὺς Πόλλιος (16) et ἢ που δὲ καὶ τὸ νῦν ἕψημα: alteram autem partem indicant verba post τὸν ἐκ Κρήτης . . . ἦν δέ τις καὶ μυρίνης οἶνος. Quae tamen vina omissa sint, ex Plinii libr. XIV, 80—86 cognoscitur.

Similem autem partitionem apud Aelianum esse videmus, qui postquam Pollii vini mentionem fecit, pergit: ἔπινον δὲ καὶ Κῷον οἶνον καὶ οὕτως ἐκάλουν. (fortasse autem huic rei non multum tribuendum est, nam etiam Aeliani libros inde a III, 13 epitomatoris esse constat). Tum conferenda sunt

Ael. l. c.	Ath. 31, b
καὶ ἐπὶ τούτοις	εἴη ἂν οὖν ὁ παρὰ Σικελιώταις
γλυκύς τις ἐκαλεῖτο·	γλυκὺς καλούμενος Πόλλιος
cf. Poll. et Clem. Alex.	ὁ Βίβλινος οἶνος

καὶ Κρής τις γλυκὺς καὶ Συρακούσιος ἡδύς.

Permirus est hic consensus eo potissimum, quod Aelianus et Athenaeus ignorant, quid fuerit re vera vinum illud dulce (cf. Ath. 31 e Τιμαχίδης δὲ ὁ Ῥόδιος κ. τ. λ.)

Nolo conicere quid scriptum fuerit ab auctore, iam satis est ostendisse, omnes quattuor scriptores de vino Pollio agentes arta inter se coniungi necessitudine. Consideres etiam Pollucis καί που καὶ et Aeliani καὶ ἐπὶ τούτοις. Deinde commemorat Aelianus vinum murra conditum, de quo similem in modum disserit atque Athenaeus, praebent enim:

Ael. XII, 31	Ath. 32, b
καὶ ἐκαλεῖτο ὁ οἶνος Μυρίνης.	μυρίνης δὲ οἶνος κεῖται
μέμνηται δὲ αὐτοῦ Φιλιππίδης	παρὰ Ποσειδίππῳ
ὁ τῆς κωμῳδίας ποιητής.	διψηρὲς ἄτοπος κ. τ. λ.

Nonne mirus est etiam hic consensus? Nam quod alter praebet Posidippum alter Philippidem non multum valet. Communis auctor utrumque nomen attulit.

Auctor autem Aeliani medicus fuisse non potest. Sed quid cogitas de verbis: τί δέ; οὐκ ἐκεῖνο τοῖς Ἕλλησι τρυφῆς ἀπόδειξις; μύρῳ γὰρ οἶνον et cet.? Quam bene haec verba quadrant ad ea, quae dixi, cum de tertia Athenaei commentarii parte dissererem.

Sed etiam aliud quid ad hanc quidem provinciam non pertinens, ad eiusdem autem auctoris librum recedens ea quae dixi corroborare videtur. Etenim Athenaeus et Clemens vini generibus tractatis etiam de aquae potu locuntur. Atque dicit Clemens Paedag. II c. 30 (ed. Dind.) τί γὰρ οὐκ ἀπόχρη ὁ ἐπιχώριος ἀποπληρῶσαι τὴν ἐπιθυμίαν, εἰ μή τι καὶ τὸ ὕδωρ ἐποίσονται ὡς οἱ βασιλεῖς οἱ ἀνόητοι. Χόασπις ὁ ποταμὸς οὕτω λεγόμενος τῆς Ἰνδικῆς, οὗ κάλλιστον ὕδωρ εἰς πόσιν τὸ Χοάσπιον. Verba autem Χόασπις — Χοάσπιον cum ‚scholion esset ex margine textui illatum' Valckenarius seclusit atque suo iure ut mihi videtur. Sed utut est, ex verbis οἱ βασιλεῖς οἱ ἀνόητοι perspicitur, Clementem tales res in animo habuisse quales Ath. 45 d, Ael. XII, 40 (Plin. 31, 45). Aeliani autem verba πολυτελεία καὶ ἀλαζονεία et ipsa ad librum aliquem spectare mihi videntur, qui de rebus culinariis agebat. Quas narratiunculas ut ad eundem auctorem referendas esse credam eo adducor, quod Clemens et Athenaeus quasi uno tenore, Aelianus non ita multo post quam de vino egit hanc rem tradunt.

Videmus igitur, verisimile esse Athenaeum, Pollucem, Aelianum hausisse ex scriptore, qui librum composuerit, cuius titulus fortasse fuit περὶ ποτῶν. Qui quis fuerit postea videbimus, nam superest, ut de Celso, quem testem attuli, pauca addam.

Celsus in med. libr. VIII saepissime Asclepiadem nominat, modo eum laudans (cf. IV, 9 p. 181 ed. Patav. 1815. ‚Asclepiades multarum rerum, quas ipsi quoque secuti sumus auctor bonus' cf. V, 3, VI, 7, 3) modo vituperans ut

IV 26, cf. deinde praef. ad lib. I p. 3, 7, 6. I 3, II 6 ad Plin. XXVI, 15. II 12, 2 II 14, 15, 16, 17. III 4, 6, 9, 18, 21, 25. IV 6, 9, 11, 26. V 3. VI 7, 3.

Sed Celsus quamquam saepe eum auctorem nominatim affert, tamen multo saepius eo usus est. Comparare autem Celsum cum ceteris scriptoribus eo paulo difficilius est, quod Celsus non tantum libro, quem ille de dando vino (Plin. XXIII, 22) composuit, quem secuti sunt Plinius et Dioscorides, sed aliis quoque huius medici libris usus est, sicut libro ‚de sanitate tuenda' cf. I 3 et ‚communium auxiliorum' cf. II, 14.

Nonnullos locos, quibus auctorem eum non nominat, exscribam; exhibent enim

Celsus II, 18	Diosc. V, 7
Vinum — magnae vetustatis valentissimi generis est. At acetum et id vinum, quod paucorum annorum vel austerum vel pingue, in media materia est,	οἶνοι οἱ μὲν παλαιοὶ . . .
ideoque infirmis nunquam generis alterius dari debet.	ὅθεν ἐπὶ τῶν ἀσθενές τι μέρος ἐχόντων ἔνδον παραιτητέον.

de aqua cf. Cels. II, 18 et Diosc. V, 18.

Cels. II, 35	Diosc. V, 131 cf. Plin. 23, 63—67
	τρύγα δὲ παραληπτέον — καυστέον δὲ — δύναμιν δὲ ἔχει στυπτικήν.
sine frigore autem reprimunt pulvis vel ex faece vini vel ex myrti foliis.	ἡ δὲ ἄκαυστος στέλλει οἰδήματα καὶ καθ' ἑαυτὴν καὶ μετὰ μυρσίνης.

Uberrime autem eo usus esse videtur, cum de febri agat (lib. III) modo eum laudans modo vituperans (cf. cap. 4 et cap. 6) sed iterum saepius ex eo hausit quam dixit: sicut cap. 5 ‚si corpus' inquit ‚profluet sudor est coercendus', inter medicamina autem contra sudorem adhibenda, commendat myrtum cui vinum austerum sit adiectum, cuius ipsius medicaminis Dioscorides mentionem facit περὶ μυρσινίτου οἴνου agens V, 37 dicens στέλλει καὶ ἱδρῶτας. Atque si

exulcerationes faucium aceto sanandas esse dicit IV, 9 (ipsius Asclepiadis verba affert) praebet Diosc. V, 21 συναγχικοῖς τε ἁρμόζει. cap. IV, 11. p. 184 medetur tussi vino mero (non multo post p. 185 auctorem nominat Asclepiadem) idem autem remedium commendat Plin. XXIII, 43. ‚Merum quidem remedium est — et quorum stomachus in vomitiones effunditur': Diosc. V, 11 ἀμιγὴς οἶνος καὶ ἀκέραιος .. ποιεῖ — καὶ πρὸς πλατυσμὸν καὶ λύσιν στομάχου. Denique conferas.

Cels. V, 27, 2	Diosc. V, 11.
deinde multo meracoque vino excipiunt, quod omnibus venenis contrarium est.	ἀμιγὴς οἶνος καὶ ἀκέραιος κοινῶς δὲ ποθεὶς βοηθεῖ τοῖς κώνειον ἢ κόριον ἢ . . εἰληφόσι
cf. Cels. V, 27, 12.	
Cels. V, 27, 3.	
nam maxima pars venenorum frigore interimit.	ὅσα πλήξαντα ἢ δακόντα κατὰ ψύξιν ἀναιρεῖ.
Cels. V, 27, 4	Diosc. V, 21
Haec — usus tamen ipse docuit, eum quem aspis percussit, acetum potius bibere debere	ὄξος — ποιεῖ πρός τε θηρίων δήγματα cf. Plin. XXIII, 55

Comparato igitur Celso etiam confirmatum est, quod priore loco diximus, Dioscoridem et Plinium Asclepiadis praecepta sequi.

Sed opus etiam est diiudicare, si fieri potest, utrum recta via ex Asclepiade Plinius hauserit an ex discipulo et imitatore huius medici. Cui quaestioni instituendae Dioscoridis libri fructum praebere eo mihi non videntur, quod, cum constet Dioscoridem, ut penitus artem suam cognosceret, per multas terras vagatum esse, cogitari potest vel potius verisimillimum est, multa eum commentario quo utebatur addidisse, alia etiam quae in eo legebat omisisse. Quare in ipsos Plinii libros inquirendum est. Dicit autem Plinius, cum priore loco de oxymeli agat XIV, 114 „omnia ab Themisone summo auctore damnata", altero XXIII, 61 „sustulit totum id Asclepiades coarguitque". Alterum autem commentarium de oxymeli cum altero accurate congruere

iam ostendi. Ergo ita res se habet: in eo libro quo Plinius usus est Themison testem attulit Asclepiadem. Quo factum est, ut altero loco hunc altero illum auctorem nominaret. Themison autem discipulus Asclepiadis erat (cf. Gal. XIII, 1009. τὰ ὑπ' Ἀσκληπιάδου γεγραμμένα κατὰ τὸ δ' τῶν ἐκτὸς, ἄκοπά τε καὶ μυράκοπα. Ἄκοπα πρὸς τὰς ἐκ κόπων ἀηδίας ποιεῖ καὶ νευρικαῖς συμπαθείαις. ἐχρήσατο δὲ Θεμίσων. videas etiam Plin. XXIX, 26. praefat. Cornel. Celsi. Galen. XIV, 683.)

Atque similem quaestionem movet Fabianus, quem Plinius XXIII, 62 de sapa agens laudat. Quaeritur autem num tota haec paragraphus a Fabiano sit composita, nam in duas partes eam dividendam esse vel inde concludendum mihi videtur esse, quod nomen Fabiani media in paragrapho locum tenet. Doleo, quod Dioscorides de sapa quam una tractat cum diversis generibus passi accuratius non agit: certa tamen cognatio inter utrumque cognosci potest; nam ut Plinius ita etiam Dioscorides discernit inter singula genera sapae (cf. Diosc. V, 9. ὁ δὲ λευκὸς λεπτότερος. Plin. l. c. ex albo hoc melius). et fortasse, sed hoc pro certo non affirmaverim, tres illae partes a Dioscoride factae (στυπτικὸς δὲ πᾶς ἐστι, σφυγμῶν ἀνακλητικὸς, ποιῶν πρὸς πάντα τὰ θανάσιμα — καὶ πρὸς μηκώνειον δὲ καὶ φαρικὸν καὶ τοξικὸν καὶ κώνειον καὶ γάλα θρομβωθέν. καὶ πρὸς κύστιν) ad tria illa genera sapae spectant; quae si ita sint, cum sapa alba secundum teneat locum animadvertendum sit ad Plinii verba „contra mordentia venenata". Alteram autem partem paragraphi 62: ‚Fabianus auctor est, venenum esse, si quis ieiunus a balineis id bibat', iam legisse te recordaberis, nimirum cum Plinius § 29 de musto verba faceret. Sapa autem ex musto facta est, recte igitur fecit Fabianus, si huic eandem vim tribuit atque illi. Neque vero praetermittendum est, non Asclepiadem sapae hanc vim addicere sed Fabianum, ergo verisimillimum etiam est, non Asclepiadem sed Fabianum musto hanc vim inesse dixisse. Quare duo vestigia Fabiani librorum exscriptorum invenimus.

Proferam quae sentio. Cum intellegere non possim, qua re commotus sit Plinius, ut modo Asclepiadis ipsius modo

disciputi eius libris uteretur, statuere velim, hausisse eum ex libro aliquo a posteriore discipulo Asclepiadis composito. Qui discipulus nescio an Fabianus fuerit; „vir egregius“ inquit Seneca ep. 40, 12 „et vita et scientia et quod post ista est eloquentia quoque“ — auctor autem est Papirius Fabianus naturae rerum peritissimus Plin. XXXVI, 15. 125. cf. etiam L. Senecae ep. 100, Plin. IX, 24. An. Sen. contr. II praef.[1]) — Aliter iudicavit de auctoribus Plinii Brunn (de auctorum indicibus Plinianis disputatio isagogica, Bonnae 1856). Ego indicibus Plinianis ad auctorem primarium eruendum nihil tribuo vel perpauca. In eo autem nobiscum consentit Brunnius p. 50 ut credat „non singulos hos scriptores sibi elegisse Plinium quos excerperet, sed collectos iam antea invenisse.“ Quodsi deinde dicit „collatis igitur inter se Romanorum indicibus, solus qui idoneus sit quem sequi possit prodit Sextius Niger, quem in libris, quos de medicina graece scripsit, de herbis deque materia medica egisse constat“ haud scio an recte senserit Brunnius. Ita tamen corrigendus mihi videtur Brunnius, ut ex ipso Sextio hausisse non Plinius dicatur, sed Fabianus. cf. praef. Dioscoridis et quae E. Meyer de Dioscoride egregie disseruit. Gesch. d. Botan. II, 96 ff.

Nunc redeo ad Athenaeum. Quodsi vere dictum esse concedes, ex grammatico aliquo qui singulas res iam collegit fluxisse multa quae Athenaeus praebet, quemnam illius auctorem fuisse credam quaeres. Atque si statuimus, Athenaeum ne ea quidem, quae narratiunculis non sunt intermixta, ex medico ipsum hausisse sed etiam haec ex scriptore illo qui περὶ ποτῶν agebat — quis autem negabit apud scriptores qui glossas scripserunt quales erant temporibus Augusti et Neronis talia eum invenire potuisse —, cum ita sit res comparata, ut Asclepiadis praecepta ab Athenaeo tradita legamus, post terminum quem fuerit auctor per se apparet. Vidimus autem deinde, auctorem Athenaei fere aequalem auctoris Plinii fuisse. Age vero investigemus, quisnam fuerit.

[1]) de vita et libris eius cf. Arminium Hoefig: de Papirii Fabiani philosophi vita scriptisque dissertatio. Vratisl. 1852.

Ac primum quidem conferendus est Ath. 28 d cum Poll. VI, 67. Pollux autem has res affert in enumerando ἡδύσματα (67--71). § 71 auctores profert qui ὀψοποιικὰ συγγράμματα composuerunt, quorum nomina sunt: Pantaleon, Mithaecus, Zopyrinus, Sophon, Hegesippus, Paxamus, Epaenetus, Heraclides Syracusanus, Tyndarichus Sicyonius, Simonactides Chius, Glaucus Locrus (cf. Ath. 516 d). Per se ipsum autem verisimile est Pollucem et Athenaeum invenisse hos scriptores iam collectos ab alio quo; et erant sane collecti a poetis et sine dubio etiam a scriptoribus glossas scribentibus; velut Bato comicus apud Ath. 662 c dicit (ἀοιδίμων δ' ὀψαρτυτῶν ὀνόματα καταλέγει Βάτων ἐν Εὐεργέταις οὕτως)

εὖ γ' ὦ Σιβύνη τὰς νύκτας οὐ καθεύδομεν
οὐδ' ἀναγεγράμμεθ', ἀλλὰ κάεται λύχνος,
καὶ βίβλι' ἐν ταῖς χερσὶ καὶ φροντίζομεν
τί Σόφων καταλέλοιπ' ἢ τί Σημωνακτίδης
ὁ Χῖος ἢ Τυνδάριχος ὁ Σικυώνιος,
ἢ Ζωπυρῖνος κ. τ. λ.

Valde mirum est quod Pollux eorum ipsorum quorum Bato profert patriam et ipse nominat, - tam mirum est, ut nemo dubitare possit, quin haec nomina ex Batone fluxerint vel potius ex scriptore qui ut haec nomina traderet Batonis comoedia utebatur. (cf. apud Athenaeum nomina quae antecedunt 661 e). Atqui testes secuntur apud Athenaeum Artemidorus et Epaenetus (d): Artemidorus autem usus est Epaeneto auctore. Ergo, cum Epaenetus afferatur, verisimile est, auctorem a Polluce exscriptum minorem natu esse illo: potest igitur Artemidorus fuisse (663 c. d.): attamen non fuit, nam Athenaeus horum scriptorum argumenta iam congesta invenit a Pamphilo. cf. Ath. IX, 388 d. Ἀρτεμίδωρος δὲ ὁ Ἀριστοφάνειος ἐν ταῖς ἐπιγραφομέναις ὀψαρτυτικαῖς γλώσσαις καὶ Πάμφιλος ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐν τοῖς περὶ ὀνομάτων καὶ γλωσσῶν Ἐπαίνετον παρατίθενται λέγοντα et cet. (cf. Naber. ad Photium p. 22) ergo Pollux et Athenaeus ex Pamphilo hauserunt. cf. etiam Ath. 326 c, 479 a, 642 e, 677 b.

Iam supra cum de Cratini versibus (p. 24) dissererem,

Pollucem et Athenaeum ad eundem redire dixi auctorem. Qui quis fuerit ex Hesychio cognoscitur, qui praebet ἆρ' οἴσει τρία· ἐπὶ οἴνου ἐλέγετο ἐπεὶ τὸ πάλαι ἐκιρνᾶτο τρία ὕδατος λαμβάνων, τὸ δὲ τέταρτον οἴνου. Ita autem res se habere videtur, ut auctor communis et versus Cratini attulerit et scholion illud. Unde Hesychius et Pollux scholion excerpserunt, Athenaeus fortasse utrumque, Athenaei epitomator solos versus.

Quae deinde de Themistocle praebet 29 b cognatione cohaerent cum iis, quae Suidas ex scholio Arist. Equ. 84 Symmachiano sumpsit: Symmachus ex Didymo hausit. Ergo etiam hoc apud Pamphilum invenire potuit.

p. 30 b protropum commemorat, dicens ὅτι Μυτιληναῖοι τὸν παρ' αὑτοῖς γλυκὺν οἶνον πρόδρομον καλοῦσιν, ἄλλοι δὲ πρότροπον. Non omnino accurate epitomator munere functus esse videtur, quod intelleges, si Pollucem, Harpocrationem, Hesychium inter se comparaveris. tradunt autem

Pollux VI, 17	Hesych. s. v. προτρ.	Harpocrat.
καὶ πρότροπος	πρότροπος	πρότροπος
δ' ἦν οἶνος	οἶνός τις	οἶνος
ὁ πρὶν ἀποθλίβε-	τοῦ γλεύκους	πρὸ τοῦ πατηθῆναι
σθαι ἐκρυεὶς	τὸ πρόχυμα	τὴν σταφυλὴν
		ῥεύσας

Cognoscis omnes eundem secutos esse, cognoscis quem secuti sint.

pag. 30 c ad Semi testimonium conferendum est Photii lexicon s. v. Πράμνειος οἶνος, ex quo hausit Suidas (quamquam ex pleniore exemplari quam est Cod. Galean.). consentit autem Athenaeus cum Hesychio, qui Didymi et Aristophanis sententias coniunxit. Quae redire ad Pamphilum verissime dixit Naberus. cf. adnot. ad Pramn. vinum.

Atque si p. 31 a dicit: Ἀχαῖος δὲ τὸν Βίβλινον. ἐδεξιοῦτο Βιβλίνου κ. τ. λ., consentit cum Stephano Byzantio sub voce βιβλίνη dicente: χώρα Θρᾴκης. ἀπὸ ταύτης ὁ βίβλινος οἶνος. οἱ δὲ ἀπὸ Βιβλίας ἀμπέλου. Σῆμος δ' ὁ Δήλιος τὸν Νάξιόν φησιν, ἐπειδὴ Νάξου ποταμὸς βίβλος. Inter auctores autem Stephani iidem sunt quos etiam Pamphilus secutus est.

Idem dicendum est de Ath. 33d ὁ Μαρεώτης οἶνος τὴν μὲν προσηγορίαν κ. τ. λ. comparato cum Steph. Byzant. s. v. Μάρεια. πόλις καὶ λίμνη τῇ Ἀλεξανδρείᾳ παρακειμένη. ἣ καὶ Μαρεῶτις λέγεται. ἀφ' ἧς καὶ Μαρεώτης οἶνος.

31c de vite Anthedoniade et Hyperiade et pag. 31e de vino ὑποχύτῳ cum Suida consentit, sed cum Suidas haec ex pleniore Athenaei exemplari sumpsisse possit, inde nihil concludi potest.

Magni autem refert quod Ath. 31e prodit καὶ γλύξις δ' οἶνος καλεῖται ὁ τὸ ἕψημα ἔχων nam alii alios sequentes idem proferunt sicut Eustath. p. 1385, 14 καὶ τὸ γλυκὺ ἐκ τοῦ γλεῦκος. ὅθεν καὶ γλεῦξις κατὰ Παυσανίαν οἶνος πολὺ ἕψημα ἔχων, ὁ νῦν σίρινος. ὁ δ' αὐτὸς καὶ σίραιον οὐδετέρως Pollux VI, 17 ἢ που δὲ καὶ τὸ νῦν ἕψημα ὀνομαζόμενον, ὅπερ ἐστὶν οἶνος ἐξηψημένος εἰς γλυκύτητα. Suidas ἕψημα ὅπερ. cetera desunt in cod. A. iudicat Gaisfordus: „excidisse puto quae habet schol. Plat. p. 162. ἕψημά ἐστιν, ὃ ἔνιοι ἕραιον καλοῦσιν. οἱ δὲ γλυκύ. His similia habet Hesychius". Mihi valde improbabile videtur quae vir doctus sentit, ego cum Pollux quoque proficiscatur ab vocibus ἕψημα ὅπερ ex hoc ipso Suidam supplendum esse credo.

Consentiunt autem omnes inter se mirum in modum; atque cum neque Suidas hoc loco neque Eustathius Athenaeum auctorem sequantur, omnes ad eundem recedere statuere possumus. Qui quis sit, cum Pausanias Diogeniano usus sit (cf. Naber, de Diogeniano), perspicuum est.

de vino αὐτίτῃ (Ath. 31c) Suidas et Pollux fere consentiunt, sed Suidas fortasse pleniore Athenaei exemplari usus est, quod idem fecisse potest cum de vino ἀμφίᾳ dissereret. Itaque cum etiam Hesychii et Pollucis commentarii breviores sint, his ex locis nihil concludi potest.

Maximo autem usui est huic quaestioni diiudicandae quod legimus Ath. 31e Πλάτων δ' ὁ κωμικὸς καπνίαν. κάλλιστος δ' οὗτος γίγνεται ἐν Βενεβέντῳ. πόλει Ἰταλίας quocum conferendum est quod praebent

Phot. lex.	Hesych. καπν.	Suidas s. v. καπ. οἰν.
καπνίας οἶνος	καπνίας· καὶ οἶνος δὲ καπνίας	καπνίας οἶνος
κεκαπνισμένος	ὁ κεκαπνισμένος	
		ὃς γίγνεται ἐν Βενεβέντῳ τῆς Ἰταλίας
	καὶ κάπνεως ἄμπελος ἡ μέλαινα	καὶ καπνία ἄμπελος ἡ μέλαινα

Vides quam egregie ex omnibus id, quod communis auctor tradidit cuius nomen Hesychii locus adscriptus te docet, fere restitui possit; neque vero minus nos iuvat, quod sequitur apud Athenaeum

ἐχρῶντο δὲ οἱ ἀρχαῖοι καὶ πώματί τινι ἐξ ἀρωμάτων κατασκευαζομένῳ, ὃ ἐκάλουν τρίμμα. nam videas, quae exhibeant

Hesych. τρίμμα· ἀρωματίζον πόμα ἐν γάμοις πινόμενον καὶ ἐν θεατρικοῖς ἀγῶσιν.
Photius. τρίμμα· δι' ἀρωμάτων πόμα
Suidas. τρίμμα· δι' ἀρωμάτων πόμα . ταῦτα . . . .
Poll. VI, 18 τὸ δὲ τρίμμα πόμα ἦν μετ' ἀρωμάτων . .

Athenaeus, Photius et eo usus Suidas, Pollux Hesychiusque ad eundem auctorem redeunt. Hesychius autem ex Diogeniano hausit, Photius quod praebet apud Aelium Dionysium, et ipsum Diogeniano usum (cf. Naber ad Phot.), invenire potuit; res igitur ita comparata est, ut nihil obstare videatur, ne etiam hoc ex Pamphilo fluxisse statuamus.

Tum intuearis

Ath. 32 b. καὶ Ἑρμῆς δ' εἶδος πόσεως παρὰ Στράττιδι.
Pollux VI, 100. καὶ Ἑρμῆς ἡ τελευταία πόσις (cf. quae antecedunt).
Photius: ἑρμῆς· πόσεως εἶδος. ὡς ἀγαθοῦ δαίμονος καὶ Διὸς σωτῆρος
Hesych. ἑρμῆς· τὸν ἑρμῆν ἐπὶ πόσεως ἰδέας ἔλεγον καθάπερ Ἀγαθοῦ δαίμονος καὶ Διὸς σωτῆρος

Si quae modo dixi conferes res clara erit et perspicua.

Denique quod Ath. 33 f prodit: σαυτὴν ἐπαινεῖς ὥσπερ Ἀστυδάμας, γύναι Photius et eo usus Suidas habent (et Eust.

p. 121, 40). cf. etiam Ath. p. 28 d (c. 51) et Hesych. s. v. χαλυβώνιος

Res igitur ita se habet ut Athenaeus earum rerum de quibus modo disserui partem alteram certe ex Pamphilo hauserit alteram saltem haurire potuerit. Quare non vereor statuere Athenaeum omnia quae praebet ex hoc viro doctissimo Celsi coaevo sumpsisse. Pollucem autem et Aelianum, qui arta inter se cognatione cohaerent, ex glossographo Pamphili copiis uso hausisse credo.

Restat, ut quis fuerit Asclepiades exponamus, nonnullaque ab aliis falso tradita, qualia fuerint, proferamus.

Clarorum medicorum nomina afferens Plinius VII, 123 Hippocratis, Cleombroti mentionem facit, § 124 autem pergit „magna et Critobulo fama est, extracta Philippi regis oculo sagitta — summa autem Asclepiadi Prusiensi condita nova secta, spretis legatis pollicitationibus regis, reperta ratione, qua vinum aegris mederetur, relato ex funere homine et conservato, sed maxuma sponsione facta cum fortuna, ne medicus crederetur si unquam invalidus ullo modo fuisset ipse." Mithridatis autem Magni qui dicitur temporibus eum fuisse cognoscimus ex Plin. XXVI, 12 „durabat tamen antiquitas firma magnasque confessae rei vindicabat reliquias donec Asclepiades aetate Magni Pompei huc se repente convertit." Fuisse autem dicit Plinius Asclepiadem antea quidem orandi magistrum, sed cum non magnos ex hac arte percepisset quaestus, qua fuisset sagacitate ingenii, medicinae eum operam dare coepisse. Cuius qualia essent praecepta et artes cum ignorasset, sibi ipsum invenisse sua et naturalia. (cf. Cornel. Celsi praef. ad med. libr. 8.) Omnium enim morborum dixisse eum medicamina esse quinque, abstinentiam cibi, alias vini, fricationem corporis, ambulationem, gestationes. (cf. Cels. II. 14. 15. Cael. Aurel. Morb. Chron. III. 8. p. 189. Gumpert. p. 108 114.). Quae remedia, cum unicuique natura ipsa data visa essent, „caelo eum demissum esse" neminem non credidisse. cf. Cels. III, 4. Neque vero laudem

Asclepiadi tribuendam esse negat, nam „in quibusdam morbis medendi cruciatus detraxit, ut in anginis quas curabant in faucis organo demisso, damnavit merito et vomitiones tunc supra modum frequentes[1]) (cf. XI, 282 quod quamquam nomen Asclepiadis non nominatur ad hunc referendum esse docet Cels. I, 3.) arguit et medicamentorum potus stomacho inimicos, quod est magna ex parte verum" (§ 17). Atque XXV, 6 eum appellat „Asclepiadem medendi arte clarum." Sustulit autem magicas vanitates XXVI, 18 quamquam haec ipsa ars medendi ab Asclepiade inventa erecta est ultra magos etiam § 20. Vituperat autem eum hisce verbis (26, 15) „id solum possumus indignari unum hominem e levissima gente sine opibus ullis orsum vectigalis sui causa repente leges salutis humano generi dedisse, quas tamen postea abrogavere multi." Asclepiadis denique et scholam (discernendam a schola Themisonis cf. Seneca ep. 95, 9) exstitisse discimus ex Plin. XX, 42 et XXII, 128 et commentarios multum valuisse apud posteros ex Plin. XXIII, 32. (unum de dando eo volumen Asclepiades condidit ab eo cognominatus, qui postea vero de volumine illo disseruere, innumeri.)

De vita eius plura invenies collata a Bianchinio „la medicina d' Asclepiade" cap. 5, Gumpertio „Asclepiadis fragmenta" cap. 16—23; de gloria eius apud posteros videas Bianchini cap. 6. (sed quo iure dicat: ‚Dioscoride fa l' elogio di lui et de' suoi seguaci' non intellego.). Contulit eum cum Braunio medico anglicano Burdach „Asclepiades und John Brown. Leipzig 1800."

Asclepiadis aetas multos iam cruciavit proficiscentes a duobus locis Pliniano altero (XXVI, 12) altero Ciceroniano (de orat I, 14. 62). Quorum Cocchi „discorso sopra Asclepiade" 11 seq. et Bianchini, la med. d' Ascl. § 7., spreto Plinii testimonio ea quae dicit Crassus non Ciceroni sed ipsi attribuenda rati prioribus annis Asclepiadem fuisse credunt, Plinium autem eo deceptum esse putant, quod Asclepiades

[1]) Quod si Gumpertus p. 94 ad morem Romanorum statim post cenam cibos vomitu eicere molientium spectare putat errare mihi videtur.

nonnullos libros ad Mithridatem miserit. Quos recte refutat Gumpertius dicens § 19 „Sed ingenue confiteor, me paullulum recedere a sententia horum virorum. Nam si vel verum est, secundum locum illum Ciceronianum Asclepiadem pertinere ad Crassi aevum, qui eo usus sit medico atque amico, tamen inde non sequitur temporibus Ciceronis ac Pompei eum diem iam obiisse. — Quid est, quo ductus Bianchini edicere potest, Plinium cum Asclepiadem ad Pompeium referret, intellegere voluisse tempus, quo Consul fuit, summumque iam gloriae adeptus erat fastigium, cum nullibi tale quid prodatur in scriptis?“ Recte hoc dixit Gumpertius, sed ut ipse proferam, quae sentio, omnino non intellego, unde et cur haec lis inter viros doctos orta sit. Etenim Ciceronis dialogus de oratore anno 699 compositus non obstat, quominus credamus aetate Magni Pompei (clarum autem iam fuisse Pompeium cum Asclepiades Romam veniret credere opus est aut tempus quod Plinius tradit, omnino tempus nullum est) eum venisse ad urbem. Respondere mihi poteris, Ciceronem fingere anno a. Chr. n. nonagesimo primo illos sermones habitos esse. Recte tu quidem, sed ne hoc quidem est, cur quae sentiamus falsa esse credamus. Mentionem fecit amici illustris urbane loquentis et scribentis, ut verba ei diceret honorifica. Sed infra ad Plinii testimonium redibo.

Aliud est quod Plinius profert, antea fuisse Asclepiadem orandi magistrum. Atque Gumpertius credit, deceptum eum esse pari nomine Asclepiadis Myrleani „clari Pompei Magni aetate apud Romanos grammatici“. Sed falsissimum est quod de Myrleano sibi fingit. Nam Myrleanus non fuit temporibus Pompei. Credo autem Gumpertium deceptum esse testimonio Suidae dicentis: Ἀσκληπιάδης, Διοτίμου. Μυρλεανός. πόλις δέ ἐστι Βιθυνίας, ἡ νῦν Ἀπάμεια καλουμένη. τὸ δὲ ἄνωθεν γένος ἦν Νικαιεύς. γραμματικὸς μαθητὴς Ἀπολλωνίου. γέγονε δὲ ἐπὶ τοῦ Ἀττάλου καὶ Εὐμενοῦς, τῶν ἐν Περγάμῳ βασιλέων. ἔγραψε φιλοσόφων βιβλίων διορθωτικά. * * ἐπαίδευσε δὲ καὶ εἰς Ῥώμην ἐπὶ Πομπηΐου τοῦ Μεγάλου καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπὶ τοῦ δ' Πτολεμαίου νέος διέτριψεν. ἔγραψε πολλά. adnotat autem Bernhardius ad ἐπαίδευσε „haec cum sequen-

tibus de altero quodam Asclepiade dicta fuisse vel temporum ratio vicerit, cum qui regum Attali et Eumenis esset aequalis, multis annis aetatem Pompei debuit superare." Recte hoc Bernh., accedit etiam, quod Suidas bis de libris compositis loquitur: ἔγραψε φιλοσόφων βιβλίων διορθ. et ἔγραψε πολλά Ionsius putat Myrleanum iuniorem eundemque grammaticum exstitisse inde colligendum esse eo potissimum, quod Sextus advers. math. I, 72 tradit, ab Asclepiade Dionysium Thracem esse reprehensum. Eundem autem designavit Strabo III, 108 (auctore Bernhardio) dicens καὶ Ἀσκληπιάδης ὁ Μυρλεανός, ἀνὴρ ἐν τῇ Τουρδιτανίᾳ παιδεύσας τὰ γραμματικὰ καὶ περιήγησίν τινα τῶν ἐθνῶν ἐκδεδωκὼς τῶν ταύτῃ. Werferus autem Alexandrinum quempiam cuius nomen a principio intercidisset a Suida intellegi putat.

Sed ex loco illo a Gumpertio allato, cum ratione temporum non adiuvetur, nihil potest concludi. Itaque alterum Myrleanum fingi non opus esse videtur. Conicio, id, quod Suidas inde a verbis ἐπαίδευσε dicit ad hunc de quo ipsi agimus Asclepiadem spectare, qui teste Plinio priusquam medicus fieret orandi magister erat. Quis enim dicere potest, quae ante ἐπαίδευσε interciderint? Quis me reprehendet, si contendo post ἐπαίδευσε (nam etiam hic lacunam statuendam esse primo quisque obtutu videbit) plura excidisse quam solam notionem proficiscendi.

Tertium vituperat Plinium Gumpertius § 20. Qui quam maxime deminui Asclepiadis merita in aprico esse dicit, si verum sit, quod Plinius § 12 seq. tradat; sed cum mentitum esse Plinium contendere non audeat, suam sibi excogitavit rationem, ut quamquam negat verum esse quod proferat Plinius, tamen ei adstipulet. Ratiocinatio autem Gumperti, ut paucis quae dixit comprehendam, haec est: Quamquam Plinius deceptus est nomine Myrleani „tamen verum est, prae ceteris excelluisse Asclepiadem eloquentia; quod iam ipse locus ille Plinianus testatur, quo oratio eius torrens ac meditata laudatur; imprimis vero Crassi insignia verba apud Cic. de orat. I, 14, 62. Quin Galenus, quamvis semper Asclepiadis merita carpere tentet, pluribus tamen locis

eloquentiam aut saltem orationem eius arte ingeniosa exornatam praedicat". (cf. Galen. de natur. facult. I, 19, Tom. I, p. 94 Kühn). Ergo, concludit Gumpertius, cum, iam priusquam Romam venisset, aliis locis observationes ad medicinam pertinentes collegisset, Romanorum animos huic disciplinae litterarum (sc. rhetoricae) faventes, antequam medicinam suam plane diversam a medicina Archagathi istius doceret, hac arte sibi cepit. „Sed non subito ex rhetore factus est medicus, qui nulla remedia nosset, nullisque artis imbutus esset doctrinis: ut potius iam medicus expertus Romam veniret". Evanescit igitur quaestuosus ille Asclepiades. (Videas qualem sibi finxerit Cocchi: „Riconobbo finalmente in lui virtù d' animo, innocenza di costume, perchè sobrio nel vivere, continente negli amori, contento delle richezze e degli onori bastanti a difenderlo dal facile disprezzo del volgo ignorante, sagace nelle sue promesse, verace ne' suoi consigli, umile, amico de' Grandi et de' Potenti, liberale, giusto, mansueto con tutti" cf. Bianchini p. 20.)

Sed quali fundamento nititur tota haec computatio? Nullo. Dubitari quidem non potest, quin Asclepiades priusquam ipse libros ederet, aliorum medicorum libellis operam dederit, neque verisimile est, aegrotos eum sanasse, priusquam aliorum scripta legisset. Sed ad rem ipsam hoc parum refert. Neque enim quod Plinius ineunte libro XXVI profert sibi ipsi debet, sed alium exscripsit et, ni omnia me fallunt, testem sequitur quo nemo potest esse locupletior, Varronem. hunc § 14 nominatim affert, hunc inter auctores libri XXVI primo loco commemorat (ex auctoribus: M. Varrone). Et potuit tales res apud Varronem invenire, quem ipsum de sanitate tuenda scripsisse constat. Testimonium igitur Plinii per se ipsum optimum est, id vitium habebit, quod omnes fere epitomatores committunt: Plinius alia omisit, alia aliter reddidit, alia contraxit, fortasse quae auctor lenibus verbis vituperavit, ipse summopere damnavit. Proferam quae ipse de Asclepiade antiquorum testimoniis nisus iudico. Asclepiades rhetor Romam venit (inde nitida et urbana oratio a Cicerone, Plinio, Galeno laudata), ibi cum

medicinam plane neglectam et Romanis odiosam (cf. Catonis verba Plin. XXIX, 14) inveniret (carnificis illius Plin. XXIX, 13 recorderis velim) quaestus causa alteram artem omisit alteri studebat. Medicorum autem ut libros et scholas cognosceret Roma in alias terras profectus est (cf. Cael. Aurel. II, 22 „(Asclepiades) se enim vidisse testatur apud Athenas atque urbem Romam phlebotomia vexatos vel peius acceptos esse pleuriticos, in Pario vero atque Hellesponto resumptos ac relevatos" de tempore huius itineris, quantum ego video nihil constat.) Inde reversus Romae medicinam docuit.

Atque qui Plinii solius de Asclepiade iudicium legit. plane novum fuisse id quod ille voluit credere potest. Neque vero rem ita sese habere vel ex Celsi verbis (praef. ad med. libr. 8) apparet „donec Asclepiades medendi rationem ex magna parte mutavit". Multa igitur mutavit, alia servavit. Nam quod dicit Plinius Asclepiadem plane ignorasse antiquorum medicorum libros verum non esse ex iis ipsis, quae apud Plin. XXVI, 14 leguntur, conici, ex aliorum medicorum libris accuratissime probari potest. Priore autem huius libelli parte cum ostendissem, intimam inter Pollucem et Plinium necessitudinem esse, animum potissimum advertendum esse dixi ad verba Pollucis: οὔπω γὰρ οἱ παλαιοὶ τὸν Ἰταλιώτην ἀκριβῶς ᾔδεσαν (apparet autem hisce verbis auctorem transiisse ad vina Italica, quod idem ex verbis καί που καὶ cognoscitur). (Quae Pollucis verba per se obscura clara erunt atque perspicua, si Plinii verba legeris XIV, 76: „Apollodorus medicus in volumine, quo suasit Ptolemaeo regi, quae vina biberet, Italicis tum ignotis, laudavit" etc. Iam intellegis, quomodo res se habeat; ad eundem auctorem recedunt Plinius et Pollux, Plinius autem eum quem sequitur diligenter exscripsit, Pollux quam negligentissime. Communis autem vel potius primarius auctor erat Asclepiades. Unde sequitur, ut Asclepiades in libris suis attulerit epistolas ab Apollodoro ad Ptolemaeum missas; deinde sequitur, ut, cum multi mirari possent, cur saluberrima illa vina Italica ab Apollodoro essent neglecta, ipse addiderit verba, quae hanc rem explicarent: οὔπω γὰρ

οἱ παλαιοὶ τὸν Ἰταλιώτην ἀκριβῶς ᾔδεσαν. Quae si ita sunt, concludere possumus Apollodori libros (neque vero credo. audaciae me teneri, si dicam, has epistulas legisse Asclepiadem in libris Apollodori) ansam praebuisse Asclepiadi. Deinde etiam Dioclem Carystium (qui paulo post Hippocratem fuit cf. Plin. XXVI, 10) testem attulit. Etenim legitur Plin. XXIII, 27 „asparagos eius (bryoniae) Diocles praetulit veris asparagis in cibo urinae ciendae lienique minuendo." Atqui redit hoc caput ad Asclepiadem; ergo cum omnino cogitari non possit, Plinium ut haec pauca verba traderet, perscrutatum esse Dioclis libros, etiam hunc testem ab Asclepiade nominatum esse statuendum est. Quae sententia aliis corroboratur locis; sicut ab Athenaeo quae de Diocle et Praxagora produntur, sine dubio in Asclepiadis libris legebantur, tum a Caelio Aurelio fere semper coniunguntur nomina Dioclis, Praxagorae, Erasistrati, Asclepiadis cf. M. A. II, 28. 29. III, 4. 17. M. Chr. III, 13 et cet.; denique uterque pari modo medetur pleuriticis, nimirum phlebotomando cf. Cael. Aurel. M. A. II, 20 cum II, 22. (non neglegendum est ab Athenaeo tantum Mnesitheum, Dioclem, Praxagoram nominari neque scio, an ea, quae praebet Athenaeus, breviore ex Asclepiade via fluxerint quam ceterorum commentarii.). Tum, quod ex Plin. XXIV, 14 conici potest, novisse eum Cleophanti libros, „qui vini rationem illustravit apud priscos" verum esse comparato Celso III, 14 cognoscitur. Ad Hippocratem autem libros explanatorios scripsit cf. Cael. Aurel. III, 1. ad Erasistratum libros contradictorios cf. Cael. Aur. M. A. II, 33 et II, 31 et Galen VIII, 714 et πρὸς Θρασύβουλον περὶ ἀρίστης αἱρέσεως cap. 2. Atque eodem modo, quo utitur Praxagoras ut pleuriticos sanet et ipse utitur mulsum eis commendans et hyssopum cum mulso cf. Cael. Aur. M. A. II, 21 et Diosc. V, 50 ὑσσωπίτης — ἁρμόζει δὲ πρὸς τὰ ἐν θώρακι καὶ πλευρῷ καὶ πνεύμονι πάθη cf. etiam Cael. Aur. M. Chr. III, 2. Neque vero Artemidori libros neglexit „cognitio igitur sive intellegentia eius passionis (cardiacae) ab Artemidoro Sidensi Erasistrati sectatore tradita est hoc modo: Cardiaca, inquit, passio est secundum

cor. Item Asclepiadis sectatores aiunt tumorem secundum cor corpusculorum coacervatione sive obtrusione effectum cf. Cael. Aurel. M. A. II, 31. Novit etiam Herophili libros, nam M. A. II, 39 Herophili sectator nominatur, atque M. Chron. III, 8 legis: Herodicus igitur, ut Asclepiades memorat et cet. Verisimile autem est, eum etiam Apollonii cui cognomen erat Mus libros perscrutatum esse cf. Gal. XIV, p. 143 et Celsi praef. ad lib. V: „horum autem (sc. Herophili, Zenonis, Andreae, Apollonii), usum ex magna parte Asclepiades non sine causa sustulit". Iam vero, cum de mundi origine agat (cf. Gal. XIV, 250) generatim Epicuri et Democriti sententiam ratam esse vult, accuratius autem si inquiras Heraclidis Pontici. Verba Galeni haec sunt: εἰ μὲν γὰρ ἐξ ἀτόμου καὶ κενοῦ κατὰ τὸν Ἐπικούρου καὶ Δημοκρίτου λόγον συνειστήκει τὰ πάντα ἢ ἔκ τινων ὄγκων καὶ πόρων κατὰ τὸν ἰατρὸν Ἀσκληπιάδην· καὶ γὰρ οὕτως ἀλλάξας τὰ ὀνόματα μόνον καὶ ἀντὶ μὲν τῶν ἀτόμων τοὺς ὄγκους, ἀντὶ δὲ τοῦ κενοῦ τοὺς πόρους λέγων τὴν αὐτὴν ἐκείνοις τῶν ὄντων οὐσίαν εἶναι βουλόμενος κτἑ (quae fortasse ex libro cui titulus erat de elementis sumpta sunt). cf. hist. phil. 18 (Diels. doxogr. 610) Sext. adv. phys. p. 686 ὑποτυπ. F. 137 (et saepius) Euseb. praep. evangel. XIV, 23, K. Sprengel. Gesch. der Medizin II, 13. Denique Mnesitheo eum usum esse apparet ex Ath. cap. 59.

Satis igitur magnus numerus est illorum, quorum libros noverat; qui medici omnes uni sectae, ad quam et ipse pertinet Asclepiades, sunt adscribendi: rationali. Dividi enim potest medicorum antiquorum ordo in tres partes: alii erant rationales, alii empirici, alii methodici. Primae autem sectae princeps fuit Hippocrates ille, quem secuti sunt Diocles Carystius, Praxagoras Cous, Herophilus Chalcedonius, Erasistratus Chius, Mnesitheus Atheniensis, Asclepiades Bithynus Cianus (cf. Gumpert § 17) qui et Prusias dictus est: alterius Philinus Cous, tertiae Themison Laodiceus Syrius παρ' Ἀσκληπιάδου τοῦ λογικοῦ ἐφοδιασθεὶς εἰς τὴν εὕρεσιν τῆς μεθοδικῆς αἱρέσεως. ἐτελείωσε δὲ αὐτὴν Θεσσαλὸς ὁ Τραλλιανὸς medicus iste saepissime a Galeno vituperatus vehementissime. cf. Gal. XIV, 683.

Atque ut Asclepiades ad aliorum opera commentarios scripsit, ita ipse correctus est a Moschione quodam, qui inde nomen accepit διορθωτὴς cf. Gal. VIII, 758, et Dioscorides aetate minor de libris eius commentarios composuit cf. Gal. XI, 840.

Discipulos habuit multos, qui aperte eum sequi sese confitebantur: sed usi eo sunt et multi alii sicut Celsus (de quo supra iam dixi), Galenus multique alii, quorum scripta aut fragmenta, cum adhuc in ea accuratius non inquisiverim, nunc quidem mihi omittenda sunt. Atque Galenus saepenumero testem eum nominat, raro autem ita, ut eum non vituperet, sicut de „elementis" II, 3 καὶ ὁ λόγος ἡμῖν μὲν μακρότερος γίγνεται et cet. Quamquam cum Galenus id solum agat ut Hippocratis unius sectator atque aemulus esse videatur (cf. librum, qui ἰατρὸς καὶ φιλόσοφος inscribitur) hoc parum refert — praecipue cum saepissime eum sequatur (cf. Kühnii praef. p. 60).

Galenus multis locis de vino agens haud raro suo auctori quod tradit tribuit: Hippocrati; sed vereor ne saepius erraverit. Unum promam exemplum. Loquentem facit Hippocratem, in eo libro, qui inscribitur Ἱπποκράτους περὶ διαίτης ὀξέων νοσημάτων βιβλίον καὶ Γαλήνου ὑπομνήματα c 2. (Kühn. XV, 630) ὁ μὲν γλυκὺς ἧσσόν ἐστι καρηβαρικώτερος τοῦ οἰνώδεος καὶ ἧσσον φρενῶν ἁπτόμενος καὶ διαχωρητικώτερος δή τι τοῦ ἑτέρου κατ' ἔντερον, μεγαλόσπλαγχνος δὲ καὶ σπληνὸς καὶ ἥπατος. οὐκ ἐπιτήδειος οὖν οὐδὲ τοῖσι πικροχόλοισι. καὶ γὰρ οὖν διψώδης τοῖσί γε τοιουτέοισίν ἐστιν. ἀτὰρ καὶ φυσώδης ἐντέρου τοῦ ἄνω, οὐ μὴν πολέμιός γε αὐτῷ τῷ κάτω ἐντέρῳ ὡς κατὰ λόγον τῆς φύσης. καίτοι γε οὐ πάνυ πορίμη ἐστὶν ἡ ἀπὸ τοῦ γλυκέος οἴνου φύση, ἀλλ' ἐγχρονίζει περὶ ὑποχόνδρια. Similia autem pluribus locis tradit. Quo cum commentario si conferemus quod Dioscorides exhibet, saepius eos inter se consentire videbimus. Etenim etiam hic dicit V, 11 γλυκὺς οἶνός ἐστι — στομάχου πνευματικώτατος — ἧσσον δὲ μεθύσκει. oppositus autem ei est Dioscorides dicens κοιλίας (δὲ καὶ ἐντέρων) ταρακτικός. Neque vero credo genuina scripta Hippocratis tales res minutissimas quales φυσώδης ἐντέρου

τοῦ ἄνω, οὐ μὴν κ. τ. λ. praebuisse. Immo post Asclepiadem haec scripta esse videntur, nam valde redolent vanitates illas scholae Asclepiadeae a Plinio ineunte libro XXVI commemoratas. Attamen ea, quae capite antecedenti Galenus commentario Hippocratis addit, in tres partes vini vires esse dividendas collato Dioscoridis libri V capite 8 ad Asclepiadis praecepta redire videntur.

Diligentissime autem de diversis vini generibus agit περὶ εὐχυμίας καὶ κακοχυμίας τροφῶν c. 11. Ubi magnum quamquam numerum vinorum attamen non tantum affert, ut omnia a Plinio, Dioscoride, Athenaeo exhibita amplectatur. Sed iam videbimus num cognationem aliquam investigare possimus. pauca promam:

Gal. VI, 800	Diosc. V, 11
ὅσοι μὲν οὖν αὐτῶν ὑδατώδεις	οἱ μὲν οὖν
εἰσὶ καὶ λεπτοὶ κατὰ σύστασιν	λεπτοὶ καὶ αὐστηροὶ
οὔρησίν τε κινοῦντες ὀλιγίστην	εὐστόμαχοι ἧττον δὲ
παρέχουσι τῷ σώματι τροφήν,	σαρκοποιοί,
(cf. XVII B 467) ὅσοι δὲ	οἱ δὲ
παχεῖς, ὥσπερ ὁ Θηραῖός τε	παχεῖς καὶ μέλανες, κακοστό-
καὶ ὁ Σκυβελίτης, ἀξιολόγως	μαχοι, φυσώδεις, σαρκὸς
τρέφουσιν, πολὺ δὲ μᾶλλον οἱ	μέντοι γεννητικοὶ
μέλανες cf. XVI 433, XVII B 686	cf. Plin. XXIII, 39.

Animadvertas velim Dioscoridem et Plinium coniungere alterum: παχεῖς καὶ μέλανες, alterum: pingue nigrum; quod idem apud Galenum legitur atque ita, ut intelligas cur hunc in modum de illo genere loquantur, dicit enim Galenus: οὐδὲ γὰρ ἂν εὕροις οὐδένα παχὺν ἅμα καὶ γλυκὺν οἶνον, ὃς οὐκ ἔστι μέλας.

Gal. l. c.	Diosc. V, 11.
— ἕνεκα γὰρ τούτου καὶ τοῦ	3. ποιεῖ
συστῆσαι ῥεομένην γαστέρα	καὶ πρὸς — πλατυσμὸν καὶ
χρώμεθα τοῖς αὐστηροῖς οἴνοις	λύσιν στομάχου, ῥωστικός.
ἄλλως οὐκ ἂν χρησάμενοι, διὰ	1. αὐστηρός. cf. Gal. X, 836
τὸ μήτ' ἀναδόσει τροφῆς (!)	2. εὐανάδοτος (!)
μήτ' αἱματώσει . . ,	
συντελεῖν αὐτούς.	

Haud inconsulte igitur Galenus auctorem sequitur sed hoc illudve (εὐανάδοτος) immutavit. Ordo autem atque ratio qua singula tractat quamquam non ubique eadem est quae apud ceteros, attamen cognatione cum ceterorum commentariis continetur. cf. etiam περὶ τροφῶν δυνάμεως cap. 40. deinde inspicias

Gal. X, 835 et	Diosc. V, 10
κεφαλαλγεῖς δέ εἰσιν ὅσον ἐφ' ἑαυτοῖς οἶνοι πάντες οἱ εὐώδεις καὶ κίρροι. διὰ τοῦτο καὶ ὁ Φαλερῖνος καὶ ὁ Τμωλίτης καὶ ὁ Λέσβιος ἀσθενεῖ κεφαλῇ βλαβεροί.	ὁ δὲ — ἐξ Ἀσίας μεσωγίτης ἐκ τοῦ Τμώλου κεφαλαλγὴς καὶ νεύρων βλαπτικός cf. Plin. XIV, 73.
X, 193	
οἶνος οὖν ἄριστον φάρμακον ἑλκῶν ἁπάντων	οἶνος — ποιεῖ πρός τε τραύματα et seq. cf. Plin. XXIII, 38.

de vinis autem adstringentibus loquens Surrentinum et Signinum affert hisce verbis:

Gal. X, 831	Plin. XXIII, 35
ὁ μὲν γὰρ Συρρεντῖνος — μετρίως δὲ στύφει	Surrentina stomachi et intestinorum rheumatismos cohibent
ὁ δὲ Σιγνῖνος αὐστηρότερος	36. Alvo citae Signinum maxime conducere indubitatum cf. Cels. IV, 12.

Certe autem redeunt ad Asclepiadem quae Galenus XIV inde a pag. 137 exhibet: τὰ δὲ πρὸς τὰ τοιαῦτα πάθη (cf. quae antecedunt) πινόμενα φάρμακα καὶ ποτίσματα κέκληκεν ὁ Ἀσκληπιάδης ἐν τῷ δ' τῶν Ἄσωνος κατὰ τὸ τέλος αὐτὰ γεγραφώς κ. τ. λ. Inde autem a pag. 138 enumerare incipit, quae Asclepiades ad diversos morbos sanandos proposuerat, quo in numero remediorum adversus μηκώνειον, ἀκόνιτον, κορίανον, τόξικον, μύκητας, ἰξίαν nullum est, quod vino non sit compositum. Quibuscum si conferes Diosc. V, 11 et Plin. XXIII, 43 rursus confirmatum videbis quod diximus, ad Asclepiadis disciplinam redire hos scriptores.

Usus autem est Galenus non solum libris Asclepiadis sed etiam aliis scriptoribus de vino agentibus. Quod elucet ex verbis, quae XI, 413 facit: ἐπὶ δὲ τὰ λοιπὰ τῶν ὑγρῶν φαρμάκων ἤδη μεταβαίνωμεν, ὧν ἐν τοῖς μάλιστα περὶ τοῦ ὄξους ἠμφισβήτηται τῶν μὲν ψυχρὸν εἶναι λεγομένων αὐτὸ, τῶν δὲ θερμὸν, ἐνίων δέ τινα μὲν θερμότητα διδόντων αὐτῷ, τινὰ δὲ ἀφαιρουμένων. Cui varietati opinionum oppositum est quod Diosc. V, 21 exhibet ὄξος ψύχει καὶ στύφει. Quo ex Galeni loco, si quis concludere velit, quo tempore (aut post Asclepiadem aut ante) auctores illi sententiis inter se differentes fuerint, nescio an audax sit. Nam, ut supra iam dixi, quod Plinius narrat, omnia ‚abdicasse' Asclepiadem verum non est, etenim cum alia medicamina adversus singulos morbos tum vinum et acetum a veteribus rationalis sectae medicis iam invenit adhibita. Quod quam verum sit quamquam vel ex iis apparet, quae supra dixi, cum de iis quos secutus est Asclepiades, dissererem, tamen pauca quibus corroborantur quae statuimus addemus. Sicut Praxagoras lethargicis meracum praecipit et mulsum cum melle (cf. Cael. Aurel. M. A. II, 8), eis qui pleuritide laborant, mulsum ex aceto (M. A. II, 21) et hyssopum ex mulso (M. A. II, 22); ad morbum ἴλεον sanandum praescribit mulsum ex aceto et vinum (cf. M. A. III, 17), adversus choleram mulsum ex aceto, passum absinthium (M. A. III, 21); paralysi vexati iubentur acetum sumere (M. Chr. II, 1) (Erasistratus iisdem dat mulsum), dysenteriaci autem mulsum et vinum dulce M. Chr. IV, 4, iecorosi vinum non aquatum (Diocles iisdem praescribit mulsum) cf. Cael. Aur. M. Chr. III, 4.

Verum ut ad id, unde degressa est oratio, revertamur, non solum a medicis Asclepiadis libri legebantur sed etiam ab aliis viris doctis. Nam quis est qui neget, Varronis apud Gellium de Mnesitheo testimonium de quo supra verba iam feci haustum esse ex Asclepiade? Quid quod Plutarchus haud raro testem eum affert, sicut περὶ εὐθυμίας c. 17 (ubi plura verba ipsius Asclepiadis videntur esse) et Sympos. VIII 9 (cf. etiam Bianchini p. 12), longe autem plurima de eo

testimonia leguntur in eo libro, cui titulus est περὶ τῶν ἀρεσκόντων κ. τ. λ. cf. Dilesium doxogr. graec. ind. s. v. Asclep. Sed etiam nomen non afferens eo utitur, sicut Symp. III, 5 p. 652; quocum conferenda sunt Dioscoridis verba V, 11

Plut. l. c.	Diosc. l. c.
b. τοῖς γὰρ ἐκλελυμένοις καὶ τόνου τινὸς δεομένοις κατὰ τὰς ἀρωστίας στομάχου — οἶνον — διδόντες βοηθοῦσι	οἶνος ποιεῖ πρὸς λύσιν στομάχου — εὐανάδοτος ὀρεκτικὸς
3. ὡς δ' αὔτως καὶ τὰς ῥύσεις καὶ ἐφιδρώσεις οἴνῳ καταπαύουσιν	(ποιεῖ πρὸς) ἐντέρων τε καὶ κοιλίας ῥευματισμὸν καὶ ἐφιδροῦσιν ἁρμόζει

Deinde dicit somnum vino conciliari, quod et apud Athenaeum et Plinium legisti, et in aceto summam vim esse refrigerandi (cf. Plin. XXIII, 54 et Diosc. V, 21). Ii autem qui testem appellaverunt Asclepiadem sunt 27, si verum dixit Ant. Cocchi ‚discorso sopra Asclep.', qui multa protulit viro docto et strenuo indigna. Titulos librorum Asclepiadis Gumpertus enumeravit 19; addendi sunt 3, libri τῶν ἐκτὸς παθῶν Gal. XII, 866, τῶν ἔντος παθῶν κ. τ. λ. Gal. XIV, 135, παρασκευαστικῶν Cael. Aur. M. Chr. II, 13.

Haec habui hisce de scriptoribus quae dicerem. Veniam mihi des, si nonnullos non tam tractavi quam tetigi, nonnullos alios prorsus praetermisi; sed tanta est haec provincia, ut omnia uno impetu absolvere non potuerim. Spero autem, quae nunc omisi, aliquando accuratius me esse expositurum.